

I. N. D.

Exercitationis Historico-Theologicae

DE STATU

ECCLESIAE

ET

RELIGIONIS

MOSCOVITICÆ,

PARS II.

Confessionis Ecclesiæ Orientalis & Moscoviticæ

Partium 2. & 3.

Theologiam Moralem
Complectentium


Brevem Censuram exhibens,

NICOLAO BERGIO

S. S. Theol. Lic. Generali per Livon.

Superintendente & Acad. Pernaviensis Procancellario

Authore.



HOLMIÆ, Excudit OLAUS ENÆUS,

Reg. Antiq. Arch. Typogr. 1705.

SAC. REG. MAJ.

Summæ Fidei Viro,

Senatori,

Confiliario Intimo

&

Cancellario

Academiæ Upsaliensis;

Illustrissimo atque Excellentissimo

Comiti ac Domino,

D_N. CAROLO

PIPER,

Mecænati meo

Magno,

Felicitatis incrementum

perpetuum!

*Illustrissime atque
Excellentissime
Comes.*

EA fuit *Illustrissime Ex-*
cellentie Tuae in me clemen-
tia, non heri demum aut nu-
dius tertius, sed longâ annorum se-
rie, eâque non interruptâ, declarata,
ut mortalium forem ingratus, nî
animi beneficiorum acceptorum me-
moris, aliquod extare vellem monu-

mentum : quod cum , more in *Mi-*
nervæ castris recepto , facere adgre-
dior , hæc pagellas in devotissimi
cultûs signum *Excell. Tuæ* offerendo,
eas ab *Excell. Tuæ* serena fronte ad-
missum iri , planè confido & submis-
sè contendo. Neque enim hæ *Con-*
fessionis Ecclesiæ Græco-Moscoviticæ
partes , jure potiori ulli offerri pote-
rant , quam *Excell. Tuæ* , cui inter
Summos voluit esse locum DEUS ,
& DEI in Patria nostra Vicarius , *In-*
victissimus Rex CAROLUS : ad cujus
Monarchæ Augustissimi pedes , cum
partem primam , in fidelissimæ subje-
ctionis symbolum , anno proximè e-
lapso , *Heilsbergæ* humilimè deposue-
rim , has posteriores *Excell. Tuæ* No-
mini dicatas , in Famæ Fano suspen-
dendas duxi , meæ erga *Excellentiam*
Tuam observantiæ , documentum fu-
turas perpetuum. Solenne equidem
est Eruditis , de gratæ mentis tesserâ
solicitis , posteritati commendare he-
roi-

roica illorum facta, quorum benigni-
tatis aura sese quam maximè refocilla-
tos gaudent : Verum ne singularem
illam, qua *Tua Excell.* in tanto di-
gnoque suis Virtutibus fastigio emi-
ninet, modestiam onerem, & meam
prodam infantiam, aliis quibus feli-
cior obtigit calamus exequendum re-
linquo, quantis rem Literariam &
Patriam universam meritis devinxeris:
mihi tantùm ea verbo memoranda
sumo, quæ ad conservandam pacem
Ecclesiæ nostræ, à *Tuâ Excellentia*
non solum sub imperio felicissimo
CAROLI XI. Regis immortalis &
gloria & zeli ; Sed & hodiè trium-
phantis Successoris CAROLI XII.
animo magno feceris. *Curlandia* te-
stis erit rejectæ petitionis Reformatæ
gentis : *Warmia* & *Episcopi sedes*
Heilsberga, ubi ad beneficia quibus
Excell. Tua me beàrat plurima, insi-
gnis accessit cumulus, dum mea de-
sideria sibi voluerit esse commenda-

tissima, illo in loco, tot negotiorum
mole onerato, & in ipso temporis
articulo, castris movendis destinato;
quo luculentius specimen summi in
me favoris, nec *Excell. Tua* dare po-
tuit, nec ego sperare debui: *War-
mia*, inquam, & *Heilsberga* indu-
bium planè præbebunt testimoni-
um & *REGI & Excell. Tue*, magno
Regis Ministro, irrito quoque cona-
tu Pontificiarum partium homines,
supplices rogasse, ut sibi liceret aut
instituire, aut frequentare sacra super-
stitiosa: quo nomine quantum *Excell.
Tua* debeant omnes, qui *Pacem Sionis*
amant, paucis explicari nequit. Ta-
ceo quæ ad incrementum & orna-
mentum *Ecclesie Gallicæ orthodoxæ*, ad
elidendos Hæreticorū conventus clan-
destinos, à *CAROLO XI.* pacis Eccle-
siae amantissimo, An. 1687. erectæ,
à *Tua Excell.* profecta, cum modus
Epistolæ non capiat argumentum, in-
tegris voluminibus & stamen & subteg-
men

men exhibiturū ; si accesserint ea, quæ
Excell. Tua eo successu, quo primus olim
Regni Gallici Status Minister Cardi-
nalis Richelius, gessit. Nam & Excell.
Tua in turbulentissimis & difficilimis
Reipublicæ temporibus, clavo rerum,
maximo regni usu, à pientissimo nostro
Rege admota, secundo cursu, spirante
eternum felicitatis suæ favonio, pu-
blicam quâ omnes vehimur navem,
inter Syrtes & Charybdes, quibus
nostra, ni caveret, allideretur fortuna,
in felicem Pacis portum deducere alla-
borat. Sed cum longus rerum usus
iam probaverit : Omne bellum sumi
faciè, ceterum agerrimè desinere, nec
in ejusdem potestate initium & finem
esse ; Pacemque optimam rerum, quas
homini novisse datum est, Cæli esse
depositum ; quis non videt, eam.

publicis malis remedium haud allaturam, nisi nos, qui peccatis clamantibus eam in exilium egimus, cum Coeli Domino, & belli flammis, & hostium saevo acinace, & Christiani cruoris effusione horrenda, & innocui sexus ac hominum captivitate durissima, & omni poenarum genere vindictam justissimam exercente, pacem restauraverimus. Quod si itaq; excussa securitate, & pertinacissima in malo perseverantia, ad poenitentiae sinceræ sacram anchoram nos receperimus, nullum erit dubium; quin Consiliis *Regis Maximi & Excell. Tuae*, è Coelis ea affutura sit benedictio, ut *Pacem firmam, certam, tutam, innumeris potiozem triumphis*, summa cum *Tuae Excell.* laude & nostra lætitia brevi visuri simus reducem, ut *Pa-*
tria

tria, inprimis Livonia nostra, hostium
armis perfidè cruentata & vix spiri-
tum ducens, respirare possit. Regem
Regum & Dominum Dominantium
interea supplicibus precibus, calidis-
que votis fatigabimus, velit ex alto
gratia sua ita fovere actiones *Excell.*
Tua, ut in omnibus Numinis divini
honori, Regii Sceptri firmamento,
Ecclesiæ tranquillitati, Patriæ com-
modis, Rei Literariæ incremento,
unicè litasse *Excell. Tuam*, iniquis pa-
riter ac æc̄ rerum æstimatoribus
constare queat! Sic famam paries
illustrissimo Nomini Tuo, cujus me-
moriam vigeat quoad vigeant Li-
teræ, florebit Suecia, stabit Orbis.
Quod reliquum est, *Vivat Excell. Tua*
Religioni, Regi, Patriæ diu superstes!
Vivat & videat illustrissimam Fa-
mi-

miliam omni ex parte florentissimam!
Vivat memor illius Senecæ:

*Pulchrum eminere est inter illustres
Viros.*

*Consulere Regno, jura tutari, dare
Orbi quietem, seculo pacem tuo:*

*Hæc summa virtus, petitur hæc Cæ-
lum viâ.*

Vivat & memor mei, munerisque
mihi, in turbata Provincia, commissi
longè difficilimi: Ego donec vivendi
finem fecero, vivam

*Illustrissimæ Excel-
lentiaæ Tuæ*

Holmiæ d. 16. Maij

Anno 1705.

*Ad præces & obsequia
devinctissimus*

Nicolaus Bergius.

Lector Benevole!

STo promissis, & partes ultimas
Confessionis Ecclesie Græco Moscovitica
II. nimirum & III. Tibi exhibeo, meam
qualemcumque addens sententiam de iis, quæ mihi
visa sunt à Verbo DEI, & ex illo hausta orthodoxâ
Fide recedere longius. Sic dum alienam ad veri-
tatis lancem expendo Confessionem, meam edidi:
in quâ nato ac educato, per divinam gratiam ad
suprema fata persistere, eamque contra Adversa-
riorum machinationes & insultus, uti hætenus,
ita imposterum pro virili, DEO aspirante tueri
constitutum est. Usus autem sum quanta fieri po-
tuit brevitate, eò adactus & temporis & aliarum
rerum angustia; idque operam dedi, ut non tan-
tum Confessionis mens, ipsius verbis candidè
exhiberetur, sed & absque verborum acrimonia
notarentur devia, exemplum secutus Patriarchæ
Constantinopolitani doctissimi, Dn. Jeremiæ,
qui An. Chr. 1575. d. 15. Maji edidit Censuram
Augustanæ Confessionis, calamo placido con-
scriptam. Spero hanc partem secundam Exercita-
tionis meæ De Religione Moscovitica, eâdem be-
nignitate quâ prima, à cordatis exceptum iri; cum
non aucupandæ gloriolæ meæ, sed studiis juventutis
litare voluerim; ut haberet integram Confessio-
nem, & sic Compendium quoddam Theologiæ
& Theoreticæ & Practicæ: accessit desiderium
reddendi rationem otii mei Holmensis, quod
mihi

mibi concessere Fata minus prospera, quae me compulere, ut & hanc hyemem Holmiae transigerem, nihil tale ne per somnium quidem cogitantem; cum astate proximè elapsa, à Clementissimo Rege meo, ad cuius Thronum Heilsbergæ tunc constitutum, me contuleram, spei plenus dimissus, omnia ad reditum in Livoniam maturandum necessaria, ex animi sententia successura. Regiam Clementiam summam, quâ ibi gavissus sum, dignis elogiis prosequi non possum: Sed temporum iniquitas obstitit, quo minus beneficia illa consecutus fuerim, quibus Rex Maximus, & erga subditos suos, sacri inprimis ordinis, indulgentissimus, me beare voluisset. Verùm hec DEO committenda, qui & meis angustiis & molestiis plurimis, finem aliquando est allaturus: grato interim agnosco animo, non planè circa me ociosam fuisse paternam ipsius providentiam, cum tempus mihi obtigerit, edendi hanc Confessionem; quo non vine à posteris majorem habiturus sum gratiam, quam ab illis, qui invidia excæcati, nihil probant, nisi id quod ipsos authores agnoverit.

Edidi antehac meis sumtibus, quod absque jactantia dictum volo, varios summorum Theologorum tractatus, parvæ equidem molis, sed non contemnendos; selegi illos, qui præsentì Ecclesie nostræ Septentrionalis statui videbantur aptissimi; adjeci præfationes, rationem instituti suggerentes; & nctas ea quæ dicta fuerunt, vel explicantes, vel applicantes ad nostram Patriam dilectam, & quæ in eâ DEO colligitur, Ecclesiam, à Pontificiis, Calvinianis seu Reformatis & eorum Patronis Syncretistis, variis insidiis petitam, ut liberum suorum Sacrorum exercitium, decursu
duo-

auorum secutorum, indefesso studio, & mille decipiendi artibus frustra quaesitum, tandem spe facta lucelli ad regnum redundaturi, si è Gallia exules Reformati, cum libero Religionis Exercitio admitterentur, extorquerent. Haftenus tamen tutam praestitit Ecclesiam, ejusque pacem sartam tectam seruauit zelus Gloriosissimæ memoriæ Regis CAROLI XI. cujus Herois vestigia ita pressit Augustissimus Filius CAROLUS XII. ut maximum Parentem, multis post se reliquerit parasangis, seque Hereticis murum objecerit, in ista ætate, quâ regale solium conscendit; quæ cerea cum fuerit, facile flectitur, uti tristis experientia in Saxonia comprobauit. Nam Christianum Electorem juvenem, Calvinianæ gentis artes, à Crypto Calvinianis, quorum tunc erat in ordine non minus Ecclesiastico quam Politico, magnus numerus, fota & promotæ, Pium alioquin, & de religione orthodoxa sollicitum, Principem, ita circumuenerunt, ut nisi DEllS morte Electoris halcyonia procurasset Ecclesiæ suæ Saxonicæ, de eâ jam fuisset actum, & illa æque ac Palatina, Biontina, Anhaltina, Hasso-Cassellana, Bremen-sis, Brandenburgica & alia, currum triumphalem horum Heroum, catenis onerata sequi fuisset coacta. Sed & parum absuit quo minus & Ecclesiæ Sueticæ, tempore Gloriosissimæ memoriæ Regis CAROLI IX. imposuissent; ut adeo nunquam ab ipsorum insidiis tuta sit futura Ecclesia Lutheranoe-Euangelica.

Quanto nisu ad exemplum piissimorum Principum Proceres & Episcopi id egerint, ut extra periculi aleam poneretur Ecclesia, testis est omn

exceptione major, Reverendissimus in Christo Pater ac Dominus D. ERICUS BENZELIUS R. SV. Archiepiscopus Eminentiss. & Acad. Ups. Pro-cancell. *olim præceptor, nunc Mæcenas colendissi-* quem in Ecclesiæ solatium diutissimè rebus mortalium interesse jubeat DEUS! qui Histor. Eccl. N. T. Sect. XVII. §. 94. scribit: Habuit Svecia nostra etiam circa Religionis negotiù, sub hâc ætate fata & prospera & adversa; sed infelicia quæ metuenda videbantur, maturè avertit, per divinam clementiam, Regum pietas & constantia invicta, cui subvenire pro virili parte, Procerum Regni ac Ecclesiæ Præsulum zelus ac vigilantia.

Hos inter Proceres si dixero eminuisse illos, qui OXENSTIERNIÆ & GYLLENSTIERNIÆ Gen-tis fuere Lumina, ad veritatis aram me Sacra-mentum dixisse, rerum Ecclesiæ gnari, faciles fa-tebuntur. Ultriusque illustrissimæ Familie, cum in me extent merita longè amplissima, Heroum il-lorum, per quos res Ecclesiæ stetit quam felicissimè, gratum declaraturo animum, hic memoriam cole-re licebit. Ex Oxenstiernia quidem, famâ super-æthera notus est AXELIUS OXENSTIERNA, Trium-maximorum Regum magnus Cancellarius, qui vixit Annos LXXI. Senator erat XLV, Cancellarius XLIII, Tutor & Regni Sveciæ Administrator, nec non fœderis Evangelici in Germania Director XII. Quo non minor, qui non ita pridem fatis concessit gloriæ & vitæ sa-tur BENEDICTUS OXENSTIERNA Gab. F. Trium-itidem maximorum Regum Magnus Minister. Vixit An. LXXIX, Senator erat an. XLIX, Cancel-

cellariæ Regiæ Præses XX. Cancellarius Aca-
demiæ Upsaliensis XVI. Tutor Regis an. I.
quo tempore quoque Generalis Gubernatoris
Livoniæ, Wismariensis Tribunalis Præsidis,
perpetui per Germaniam Legati, Borussia
Gubernatoris, Ingræ & Kexholmia Legi-
feri, Legati ad aulam Cæsaream, ad Tracta-
tus Pacis Neomagiensis, & *alia summa of-
ficia sic administravit, ut esset* Seculi Decus, Se-
ptentrionis gloria, Templum Sapientiæ, vera
Virtutis imago, Regis Amor, Civium Deliciû,
omnis Aevi Exemplum, & Camenarum perpe-
tuum Desiderium, *testibus Camenis Upsaliensibus,
Belmanni ore facundo, piissimis tanti Herois Ma-
nibus supremum vale dicentibus. Quibus in Domino
piè defunctis, addo Cæli clementiâ, adhuc, utinam
diu! superstitem* GABRIELEM OXENSTIERNAM Tu-
ronis F. Gubernatorem Bipontinum, XL.
& pluribus annis amplissimis Dignitatibus, &
variis ac felicissimè confectis Legationibus,
Plenipotentiarium quodq; in Aula Cæsarea honore
illustrissimû; *cujus zeli pro conservanda Ecclesia
Hungarica, Viennæ à Sua Excellentia gratiosissime
exceptus, per sex mensium spatium eodem & recto
& mensâ indultu sue Excell. gaudens, testis sum
aculatus; beneficiorum acceptorum gratissimum
servans memoriam, & ut omnia, in quibus sum-
mam felicitatis mortales constituunt, Excell. sue
& Toti illustrissimæ Genti OXENSTIERNÆ, è voto
assuant, calidis contendens suspiriis.*

Ex Gyllenstiernia, memorandus erit NICO-
LAUS GYLLENSTIERNAM, Regni Sveciæ Drozetus
& Cancellarius magnus, qui tempore Concilii
Upsa-

*Uppsaliensis A. C. 1593. celebrati, & moderabatur
Concilium, & primus Augustanam Confessionem approbavit & presentibus voluit esse commendatam; sic gloriam meritis & adeptus immortalē. Hunc Heroem excipiat SIGISMUNDUS GYLLENSTIERNA, inter Regni Poloniae Magnates haud postremus, partium Augustanae Confessionis, in Colloquio charitativo Thorunensis VLADISLAI IV. autoritate instituti, Praeses, cum tanta Zeli & Pietatis gloria, ut omnium presentium, summorum Virorum, etiam adversae partis, animos in sui rapuerit admirationem, eorumque meruerit elogia amplissima. His summo jure accenseo, hodieque Ecclesiae singularem curam, utinam quam diutissime, agentem CHRISTOPHORUM GYLLENSTIERNA, Comitem Senatorem Regium, Holmensis Civitatis Gubernatorem &c. meritis in Patriam, Ecclesiam maxime, adeo illustrem, ut pauci Suae Excellentiae comparandi, qui praeserendus nemo facile invenitur: cui viridem senectam, Celsissimae Conjugi Principi, Familiaeque universae Gyllenstierniae, & in hac CAROLO GYLLENSTIERNA, Comiti, Senatori Regio, S. R. M. Reginae nostrae clementissimae Gubernatori, Praesidi Collegii Revisionis rationum &c. gloriam meritorum in Patriam & Ecclesiam nemini secundo, omniaque humanorum votorum summam conficiunt, devotissima mente adprecor.*

Horum Exemplis cedro dignissimis, si se conformaverint posterī, nullus dubito quin & illi utilissimam Ecclesiae nostrae navaturi sint operam. Neque enim unquam Ecclesiae bella deerunt, cum
ali

alios post alios hostes suscitet ejus persecutor Diabolus ; qui tamen non magis est metuendus, quam cum se in Angelum lucis transformat, & sub pietatis larvâ, veritati vim facit presentissimam. Agnovit id magni nominis Theologus, Normannus noster p. m. Qui in Academia Upsaliensi, & in publicis & privatis Lectionibus, sese opposuit Novatorum (quibus pietatis, si Diis placet, ardentius studium, Pietistarum dedit nomen) occultè serpentes erroribus ; cujus Normanni Manibus gratulamur, quod earum memoriam ab oblivione vindicaverit, in sua facultate Normanno haud minor, Acad. Upsal. Senior, Vir Consultissimus & longè Celeberrimus juris Patrii Professor, Dn. Carolus Lundius, Fautor meus honoratissimus, qui in Epistola Dedicatoria ad Dn. Normanni Familiam, non obscure testatur suum ab hac Pietatis propagandæ ratione dissentum, scribens : Enimvero, si longior ipsi vita obtigisset, bono commodoque non vestro tantum ipsorum, sed literarum etiam maximè vixisset ; atque malo contra infortunioque hæreseôn omnium perversissimarum, imprimis vero fanaticorum hominum, pietatis, nescio cujus, prætextu manus impias hodierno die, Divinis insignitiùs admove vere libris non dubitantium.

Quid ominetur Ecclesiæ Upsaliensis Acad. Rector Magnificus hodiernus, Dn. Petrus Elvius, Mathem. Professor Celeb. Fautor itidem meus æstimatissimus, in Programmate, quo invitavit ad solennem Panegyrim Academicam, in qua Prim. S. Theol. Professionem inaugurali

oratione suscepturus erat d. 18. Apr. Max. Rev.
& Ampl. Dn. D. Laurentius Molin, à Sacris
primariis & Confessionibus, S. R. M. HED
WIGI ELEONORÆ Domina nostra Clemen-
tissima, cui seram immortalitatem voveo; verbo
explicuit sic differens: Sed cum Ecclesiæ huic
militanti, ut rosæ inter spinas constitutæ, de
perpetua pace ac tranquillitate nusquam cau-
tum sit, quin eam nunc ac olim, igneis suis
telis impetat Satanas, cum suis ex orco fu-
riis, militem Christianum, sacrâ instructum
panoplia, agere decet excubias: Habent Ec-
clesiæ Evangelicæ potentia non minus ac cal-
liditate instructissimos hostes, Romanæ Cur-
riæ in perniciem religionis Protestanticæ di-
rectæ machinationes sunt manifestæ; suc-
cessu easdem non caruisse vidimus & dole-
mus; id serio optandum, ne dissensionum
malis; quæ nunc velut agmine facto in or-
thodoxam veritatem ex domesticis insidiis in
Germania irruunt, hostis communis in oc-
casione vincendi utatur. In medio itaque
hostium ut constituta est Ecclesia, ita vigili-
bus qui accuratiores agant circa eam excu-
bias, opus habet; quod fiet, si genuinas
muneris sui partes expleverint, quas ἐν δυνά-
μει παρακαλεῖν ἐν τῇ διδασκαλίᾳ τῇ ὑγια-
νέσῃ, καὶ τὰς ἀντιλέγουσας ἐλέγχειν, Divus
Paulus constituit. [Sic luculenter alienum à su-
cata pietate, ejusque propagationis modo, animum
prodens. Hanc enim tot dissidia insecuta, ut gemit-
ibus omnes repleverit Ecclesiæ nostræ angulos, ita
ut exclamare queamus: Tantum Relligio (Pie-
tas)

tas) potuit suadere malorum ! *Nec possum silentio involvere Zelum, viri dum Fata eum volebant superstitem, Pl. Rev. & Clariss. M. Martini Schütte Fac. Th. Adj. Germ. Concionat. amici mei conjunctissimi, qui se monstravit genuinum magni Dantiscani Theologi Dn. D. Schelguigii discipulum, cum semet hisce novitatibus qua voce, qua calamo opposuit; Sanè laudatus Dn. D. Schelguigius in Wigandianis p. 5. de iis reulit, quod dicant: vivendum esse, non disputandum; Theologiam Polemicam ut rixosam, jure meritoque accusari, damnari, proscribi; Libros Symbolicos Hæresibus oppositos consultius minui, quam augeri; juramentum Religionis, non sine tyrannide conscientiæ exigere; &c. Et in ingressu ad Wigandiana, hortatur omnes ut malo latius serpenti, obicem ponant, ne morâ omnia inficiat ac convalescat, & in pestilentissimum tandem morbum degeneret, & qui imminere foresque nostras pulsare videtur, Naturalismus, vel manifestus Atheismus, irrumpat.*

Pios Principes non defuisse officio suo, testantur eorum Ediçta, Constitutiones & Rescripta publica, quorum pluscula à Dn. D. Schelguigio l. c. adducuntur: Sed cum nos propius tangat Ediçtum Christianum, Regis Pietatis gloriâ incomparabilis, CAROLI XI. d. 6. Octob. 1694. publicatum ex eo nonnulla huc transcribemus, nobis quibus obsequi gloriâ tantum relicta, nulla violanda modo. Causam Ediçti ubi sic reddidisset: Nachdem wir schmerzlich erfahren müssen / wie an etlichen Orten der Evangelischen Kirchen in Teutschland /

):():(2

die

Die alten Ketzrischen / Schwermerischen Lehren
vom Chiliafmo, sonderbahren Offenbahrunge/
Entzuckungen 2c. wieder auf die Bahn gebracht/
in öffentlichen Schriften theils eingeführet / theils
vertheidiget / theils wollen entschuldiget und gerin-
ge geschäzet werden / zu dero behuff man allers-
hand Schwermerische Schriften suchet zu re-
commendiren oder bemanänteln / nebenst diesen ver-
dächtige / gefährliche / ja von denen Libris Sym-
bolicis Evangelischer Kirchen ganz verworffene
Redensarten wieder gebrauchet und entschuldiget/
auch das ansehen der Librorum Symbolicorum
kräncket / und die eidliche Verbindung an diesel-
bige bald aufheben wil ; diesem allem aber durch
heimliche Conventicula grossen Vorschub thut/
woraus den nichts anders als Zerrüttung der Ge-
müther / große Unruhe / Lasterung und Frolocken
der Widersacher der Wahrheit / euzerste Seelenge-
fahr / ja gar NB. Untergang des reinen Evangelii
an solchen Orthen entstehen kan ; post quædam
alia pergens : Befehlen demnach allen und je-
den unsern getreuen Unterthanen unserer Provin-
cien / wes Standes und Condition sie seyn / für-
nemlich aber / welche in geistlichen Aemptern Gott
dienen / und den Gemeinen / als auch der studi-
renden Jugend vorstehen / wie aller andern / also
auch oben angeführter Ketzerey / und hin und wies-
der einschleichenden Schwermerereyen / aller Ketzris-
schen / gefährlichen / verdächtigen und anstößigen
Redensarten / gänzlich / mündlich und schriftlich
sich zu enthalten / ihnen nicht den geringsten Vor-
schub / unter was Schein es immer wolle / ent-
weder durch Entschuldigung oder Geringsachtung

zu thun / die Privat-Zusammenkünfte in denen
Häusern / oder andere heimliche Conventicula,
auf keine art und weise zu dulden / die Einführung
Schwermerischen Bücher gänzlich abzuschaffen /
vielmehr aber einzig und allein bey Gottes heiligem
Wort / und denen so theur beschwornen Libris
Symbolicis, als dem einigen Bande der Evan-
gelischen Kirchen / schlechter dings zu verbleiben.
Tandem poenam Transgressoribus dicitur;
Daß die Consistoria selbige entweder zu einem öf-
fentlichen Wiederruf für der Gemeine / und herzu-
licher Abbitte des gegebenen Irgeriffes / das er-
ste mahl sollen anhalten; in desselben Wegerung
aber / so er ein Ampt bediente / des Dienstes ent-
setzen und des Landes verweisen lassen; oder so er
außer Ampts / mit des Landes Verweisung also-
bald wider ihn verfahren lassen; das andermahl
aber ohne alles übersehen die Verordnung thun /
daß die Absetzung und Landes-Verweisung an
ihm schleunigst vollenzogen werde.

*Constitueram præter hæc ex MSC. summi in
Patria Theologi, ante aliquot annos placidè defun-
cti, edere errorum pietisticorum Catalogum, ut stu-
diis operam dans juvenus, de iis admonita disceret
discernere pretiosam à vili: verum cum sperem
Theologos nostros, Cathedras Academicas occupantes
mibi hic otium facturos, & quæ ipsorum de his
controversiis candida sit sententia exposituros, di-
stuli hujus Mscr. publicationem, dixisse conten-
tus, veneno huic Novitatum, paratum esse An-
tidotum, non tantum in Sacro-Sanctis Prophe-
tarum & Apostolorum Oraculis, & libris
Symbolicis, quorum lectio præ reliquis debet esse*

commendatissima ; sed orthodoxorum quoque Theologorum scriptis , quorum tantus est numerus , ut illis recensendis paginae hujus angustia non sufficiat. Palmam reliquis dubiam facere videntur , modo memorati Dn. D. Schelguigii pluscula , inter quae eminet Synopsis controversiarum sub pietatis praetextu motarum ; quae in compendio sistit nervosa ac accurata Methodo ea , quae apud alios magno labore essent quaerenda : ad quos tamen bona fide citatos , Lectorem plenioris informationis cupidum remittit. Invenies ibi Witebergensis Fac. Theologicae , Dn. D. Mayeri Gryphiswaldensis , Dn. D. Fechtii Rostochiensis , Dn. D. Sontagii Altorfinae , Theologorum , & quas privato nomine edidere Witebergenses , Dn. D. Deutschmannus , Dn. D. Hanekenius , Dn. D. Neumannus , & Dn. D. Pfeifferi Lubecensis Superintendentis , & aliorum lucubrationes allegari , quorum lectio neminem praedictis vacuum paenitebit.

Posses hic calamo imperare quietem , ni vidissem & audivissem apud nos in deliciis haberi & aliis obrudi Gothofredi Arnoldi scripta venenata varii augmenti , sed potissimum Chronicon Ecclesiae & Hæreseôn , quod cum universae Historiae Ecclesiasticae faciem foedarit , ad Garumantas & Indos esset relegandum potius , quam in Ecclesia nostra tolerandum. Mibi fidem haberi non postulo , sed viris magnis , & in quos nulla affectuum perversorum vel invidiae cadit suspicio , Max. Rever. & Ampliss. Dn. D. Goetzio Superintendenti Lubecensi vigilantissimo , qui in erudito de reliquiis Lutheri in variis locis asser-

varis, (domo, vitris, annulis & similibus) tractatu ed. Lips. 1703. in 4. §. II. p. 37. de eo refert, quod nihil hic rectum & Christiano homine dignum putet, nisi suis conveniat moribus. Post pauca: quod sibi in scribenda hac historia datum existimârit, ut Luthero cujus Manes venerari debuisset, insultaret audacter, ejusque memoriam ceu infaustam carbone notaret. Idem allegat Epistolam Dn. Frickii, Ulmâ d. 16. Sept. 1699. perscriptam, qui asseruit, quod Historia ejus Ecclesiastica iniquissima sit Patribus orthodoxis, tantum non ad unum omnibus, quod cladem Ecclesiæ sit allatura Historia illa, & quod in cursoria lectione tot errores magni momenti, calumnias, mendacia, injuriarum plaustra deprehenderit, ut referre pigeat. Atqui hic inter Pietistas primam occupat caveam. Remittit idem Dn. D. Goetzius Lectorem ad Andr. Caroli Memorabilia Eccles. Lib. X. c. LXXVIII. pag. 866. Dn. D. Fechtius, qui Pfeiffero, quanto Viro, audit Theologus accuratissimus, in Epistola ad Mag. Manzelium, præmissâ Criticæ in Gothofredi Arnoldi Criticam, dignâ quæ tota hic legatur, non dubitavit eum nominare: Archisycophantam, qui maledictis universam nostram Ecclesiam, omnesque ejus Doctores sine fronte ferociter conspuat, iisque technis ad religionum omnium indifferentismum rectâ viâ ducit; hinc laudatus Dn. D. Fechtius asseruit; ne quidem boni viri, nedum Theologi, nomen mereri, qui ad illius maledicta fileat, nec vel veritatem defendat, vel vindicet famam.

mam. *Dolet* hos Tomos Histor. Eccles. ab hominibus seriæ veritatis defensionis infensis arripi, & adminiculo plurium linguarum disseminari: Queritur quod Lutheranam fidem, odio plusquam Vatiniano ubique persequitur: Quod affectu & virulentia ita excœcatus, ut vix verbum eidem excidat, quin sit felle tinctum & veneno. *Ut taceam reliqua, quæ non tantum ab hoc Theologo mitissimi ingenii, sed & aliis prolata, ut incauta juvenus disce- ret vitare & angue pejus odisse scripta, nisi odium spirantia.*

Est & nobis, per divinam misericordiam Pietas & cura & cordi; sed Veritati in omnibus amicas jungens manus: cui promovendæ hanc Theol. Mora- lem Ecclesiæ Græco-Moscov. publicavi, ut in ruborem dentur, qui secum natam & interitura Pietatem, mortalium vanissimi, autumant. Quod si de favore tuo Ben. Lect. constiterit, spondeo me Tertiam Exercitationis meæ partem, Theologiam conscientiarum Moscoviticam exhibituram, si DEUS vitam concesserit, Tecum communicaturum. Tu interea, quisquis fueris, Bone, agnosce quanta nobis incumbat necessitas agendi DEO gratias, pro nobis concessâ Verbi sui sanctissimi luce; quanta supplicandi, ut sit lucerna pedibus & lumen semitis nostris; quanta orandi ut nobis illam servet usque ad seculi consummationem, dicendo:

Vespera nunc venit, nobiscum Christe
maneto,

Extingui lucem nec patiâre tuam!

Se-

Sectionis Tertie

Theologiam Moralem exhibentis

CAP. I.

Confessionis Ecclesiæ Orientalis & Moscoviticæ

PARS. II.

De Spe & Oratione Dominicâ.

§. I.

QUæst. I. pag. 194. Spes definitur: quod sit vera in DEUM fiducia, per inspirationem atque illuminationem divinam, cordi hominis indita, ut ne unquam de gratiâ DEI desperet: tam circa impetrationem veniæ peccatorum, quam circa quodvis optatum: quando aliquid optatur bonum, sive de temporalibus, sive de æternis, ex Ebr. X. 35. & Rom. VIII. 24. Ubi addendum omnino ad illuminationem, per Verbum DEI; quo mediante omnis post ob-signatum Scripturæ Canonem, fit & inspiratio & illuminatio.

§. 2. Ad quæst. 2. p. 195. quibus rebus certa in homine Spes efficitur? Resp. (1.) quod omnis nostra Spes, sit Dominus noster Iesus Christus. ex 1. Tim. I. 1. Joh. XIV. 13. quia per ipsum nobis tum gratia, tum veritas data. Joh. I. 17. (2) dicitur quod in observatione mandatorum, repositam habeamus fiduciam, ex Joh. XIV. 21. Qualem autem præsentia Bonorum Operum gignat fiduciam, exponit Dn. D. Schertz. Brev. Hulsem. enucleat. cap. 12. th. 39. p. 787. Digna sunt quæ ascribantur verba: Duplicem fiduciam concedimus niti posse operum præsentia; nempe 1. fiduciam Status Fidei vera, cognitionis ac renovationis. 2. Fiduciam complacentia divina. Solam vero fiduciam tum consequendi, tum promovendi justificationis & glorificationis beneficium, in opera collocari posse negamus, impiamque ac scandalosam Bellarmini contrariam sententiam pronunciamus. Unde patet, quo sensu accipienda Confessionis verba, ut fidei sint analogæ. (3.) Ex communione tremendorum Mysteriorum, h. e. Corporis & sanguinis Christi: per quam ille ipse Dominus in nobis habitat; haud malè. Sed dum huic sententiæ ex Joh. VI. 56. robur accedere autumat, fallitur: cum Evangelista illic de Sacramentali perceptione nullo agat modo, quod evictum dedit, & contra Calvin. & Pontificios & Calixtinos, quibus Confessio frigidam suffundit, Dn. D. Calov. Harm. Calixtino-Hereticæ c. 6. §. 21. p. 82. seq. (4.) per assiduam orationem, ex Jac. V. 13. & Jud. vers. 20. optimè. Confer Dn. D. Laurentii Synagma Theol. lib. 3. part. 3. Art. 9. c. 3. p. 544.

S. 3. Quæst. 3. p. 197. indicat, *quid considerandum, ad rectè comprehendendam hanc secundam Confessionis partem, nimirum adpositissimum videri, ut Oratio Dominica & Novem Beatitudines considerentur; ratione hâc additâ: quod quicquid à DEO impetrare volumus, primum cum verâ Fide, deinceps cum Spe, quod certò nobis illud daturus est DEUS, ab ipso petantur. ex I. Thess. V. 24. Fidelis est qui vos vocavit, qui etiam faciet. Subdens: Pari etiam modo Beatitudines illas, spe nostras facimus, quando virtutes ipsas servamus, eâ spe, ut promissa Beatitudinum præmia consequamur. Hic Dn. Interpret vertit, servamus: cum tamen in originali legatur: θέλωμεν φυλάττειν, volumus servare. Ubi magna intercedit differentia inter τὸ servare, & velle servare. Hoc unicuique Christiano possibile; cum illud nulli mortalium concessum sit, si Salvatorem excipias, & de perfectâ observatione mandatorum sit sermo. Sed quod ad mentem Confessionis attinet, supponit illa meritum Bonorum Operum, & præmia Beatitudinum ut operibus debita in-tuetur: pessimè.*

S. 4. Quæst. 4. p. 198. Orationis duplicem dat definitionem. (1.) *Quod sit petitio quedam ad DEUM ex ardenti Fide fusa, cum Spe consequendi id quod petimus secundum voluntatem ipsius. (2.) Quod Oratio sit adscensus mentis voluntatisque ad DEUM; quâ DEUM collaudamus, aut obtestamur, aut ob sua in nos beneficia grates illi agimus.*

§ 5. Ex hâc posteriori fluit responsio ad quæst 5. p. 199. quâ quæritur : *quid faciendum homini antequam orare incipiat ?* Sciendum, esse tria summa Orationum genera. (1.) quo gratias DEO persolvimus pro præstitis beneficiis ex 1. Thess. V. 17. 1. Cor I. 4. Coloss. I. 12. (2.) quo DEUM rogamus, ut nobis veniam peccatorum nostrorum concedat : scilicet ut merita simul pœnæ nos eximat : atque sanctam gratiam suam, nobis, quâ animam, quâ corpus infundat (det); cujusmodi preces tum nostri causa, tum proximi fundimus. Col. I. 9. (3.) quo collaudamus ac extollimus Dominum & DEUM nostrum ob Majestatem inaccessible, atque immortalem gloriam. Exemplo Davidis Psal. CXLV. 2. additque, Ejusmodi orationem præcipuè ac singulariter magnâ Doxologiâ (glorificatione) contineri, quam quotidie in Ecclesiâ cani asserit. Qualis hæc Doxologia sit, Interpres indicat : Hymnum Angelicum, Gloria in excelsis, nominans. Quâ occasione notandum, quod in Ecclesiâ Græca duplex fuerit Doxologia ; Magna, sc. Hymnus jam dictus : & parva, quæ in fine Psalmorum sæpius repetitur : Gloria sit Patri, Filio, & Spiritui Sancto &c. quam non tantum studiosè in Ecclesiâ retentam, pro custodiâ doctrinæ Nicenæ contra Arianos, sed & ab his subdolè mutatam docet Hofm. Lex. Univ. Cont. part. 1. p. 648.

§. 6. Qu. 6. p. 201. *quid præterea ad precandum necessarium ?* Sic satisfacit : (1.) Orandum esse cum sobriâ temperantiâ & reverentiâ,

ex Tit. II. 12. (2.) *Cum compunctione cordis.*
 Coloff. III. 16. 17. (3.) *Ira & invidia oraturis*
exuenda. Matth. VI. 15. (4.) *In gratiam re-*
deundum cum illis, qui erga nos infenso sunt ani-
mo. Mat. V. 23. 24. (5.) *Cogitationes peregrinae*
& cura inter orandum abigende, ne de nobis,
quod de hypocritis, pronunciet DEUS. Marc. VII. 6.
aut de nobis accipiat illud Psalm. CIX. 7. *O-*
ratio illius peccatum fiat. Omisit hic Con-
 fessio (6.) requisitum, ut *Oratio fiat lingua*
nota; quâ & totus cultus divinus peragen-
 dus, id requirente Apostolo 1. Cor. XIV. 13.
 & seqq. inprimis v. 16. qui cum variis sit sub-
 jectus expositionibus, meretur adduci & pon-
 derari. Sic autem verba Pauli habent: *Ἐπει*
εἶαν εὐλογήσης τῷ πνεύματι, ὁ ἀναπληρῶν τὸν
τόπον τῆς ἰδιότητος, πῶς εἰρεῖ τὸ ἀμήν ἐπὶ τῇ σῆ
εὐχαριστίᾳ; ἐπειδὴ τί λέγεις ἕκ ὀϊδε. Theod.
 Beza vertit: *Quandoquidem si benedixeris spiritu,*
is qui implet locum idiotæ, quomodo dicturus est
Amen ad tuam gratiarum actionem? nam quod
dicas nescit. Vulg. consentit. Luth. vocabulum
 idiotæ, in quo maxima difficultas, vertit per
 Seneb. : Svec. & Dan. *Olårde.* Anglus: Un-
 learned. Batav. Onghelerden. Slavonica: ne-
 wiaeschda. Gallica Genevensis: *populaire, in*
textu; at in margine: *personne privée* secun-
 dum origin. Ut autem de genuino Spiritus
 Sancti sensu constet, notandum (1.) quod
τὸ benedicere Spiritu, est officium sacrum in Ec-
clesia expedire lingua peregrina. (2.) per eum
 qui

qui implet locum idiota, omnes auditores esse intelligendos, cum eò confluerint animo discendi ea, quæ antea ignorabant. Quò respexit *Genevensis* explicando *per populaire*; promiscuam multitudinem significans. (3.) Amen dicere, esse quæ dicta fuerunt approbare, sibi que applicare. De primo & tertio *Estium*, inter Pontificios Interpretum doctissimum, habemus suffragantem: Sed ad 2. Excipit: *Paulum non id velle ut totus populus intelligat, sed tantum ut is intelligat, qui suâ responsione & approbatione vicem populi suppleat, quem cæteris doctiorem esse conveniat; & in quo tanquam vicario, populus quodammodo intelligat.* Verum cum *Dn. D. Christiano Chemnitio* Comment. in h. l. quæst. I. pag. 293. dicimus: Cum (1.) Omnes debeant approbare & sibi applicare. (2.) Nemo per alium intelligat, agnoscas, *Esti, frigus tuæ particule quodammodo. Gallicâ enim nive est frigidior.* Univerfa concio itaque erit intelligendâ; & orandum Linguâ notâ: quod nec apud Græcos, nec apud Moscovitas fieri persuasi sumus, si Eruditos excipias. Nam Græcorum preces antiquâ Græcâ, Moscovitarum Slavonicâ purâ conceptæ, quas Dialectos vulgus sibi familiares non reddidit. Quod formulæ precum vulgari Dialecto Rufficâ editæ non sint, certò scimus: an verò apud Græcos translatae in communem linguam, non adeò certum. Hinc patet non esse supervacuum laborem quem *Plur. Rever. & Doctiss. Dn. Ernestus Glück* Præ-

Præpositus Marienburgensis in Livoniâ, nunc
 captivitatis incommoda Moscuæ sentiens, im-
 pendit vertendis Bibliis Slavonicis, in Dia-
 lectum Russicam omnibus vernaculam; ut
 expeditior plebi pateat via, ad intelligenda &
 Oracula divina & Sacra, quæ Slavonicâ minus
 notâ peraguntur, uti *Exercit. Nost. Part. I. Sect.*
I. Cap. IX. §. 5. pag. 90. jam indicavimus. *Esti*
 autem adhuc dicimus in aurem: Apud Pon-
 tificios rarò doctiores reliquis esse illos, qui
 Amen dicunt: imò puerulis id negotii com-
 mitti & in pagis & in civitatibus; quod *αυ-*
τόπιος & Romani moris callentissimus, cum
 in illâ communionē pluribus annis Sacerdo-
 tem egerit, post veritatem agnitam, & publicè
 in Ecclesiâ Gallicâ Holmensi, eo quo oportuit
 zelo ac animo in suggestu assertam, olim Col-
 lega, nunc Fautor & amicus exoptatissimus
Dn. Josephus La Roque, Estii alioquin admirator,
 mecum asserere non dubitavit; ut hoc effu-
 gium nullius sit pretii, & ad agnoscendum er-
 rorem, Estius, vel potius sequaces teneantur.

§. 7. Quæst. 7. quærit: *Quenam sit Oratio*
Dominica? Resp. *Pater noster &c.* Quæst. 8.
 pag. 204. *in quot membra dividatur interrogat?*
 Resp. *in tria: 1. Proœmium. 2. In preces ipsas.*
3. In Epilogum. Quæst. 9. Proœmium
 ipsi uti & nobis est: *Pater noster qui es in cælis;*
 quod quæst. 10. sic explicat. (1.) *Oraturum se*
sistere non ut creaturam duntaxat, sed ut filium;
 subjectâ hâc ratione: *Si filius non est, patrem*

illum nullo jure vocare potest. Optimè autem monet : hanc adoptionis gratiam, in se credentibus Christum impertivisse, ex Johan. I. 12. & Gal. IV. 6. (2.) Orthodoxæ & Catholice Ecclesie filius sit oraturus : quod hâc ratione nixus asserit : qui Ecclesiam matris loco non habet ; is nec DEUM patrem habere potest. ex Mat. XVIII. 17. (3.) Nihil prorsus addubitabit, quin quod petit, (hic addendum ex primâ supra datâ orationis definitione : Secundum voluntatem ejus.) accepturus sit. Ratio : quia Patrem indulgentissimum, summe misericordem, eundemque communem omnium patrem orat. Luc. VI. 36. qui & animi motus suggerit, ut illum rogemus, perspectissimumque habet, quid unusquisque nostrum rogatum veniat. Matth. VI. v. 8. & VII. v. 11. (4.) quod quemadmodum DEUS omnium nostrum pater est, ita & nos qui fideles sumus, inter nos invicem fratres esse debeamus, alterque pro altero intercedere. Jac. V. 16. & Matth. XXIII. 9. sic citius alacriusque nos exauditum iri. (5.) Verbis : qui es in cœlis, indicari : animos cogitationesque omnes à terrenis & caducis, ad cœlum & incorruptibilia adtollenda. Prudenter tamen monet : DEUM non in cœlo solum, sed ubique locorum esse presentem, omnia replere ; quando autem in cœlis potissimum effulget gratia illius, & beneficiorum perennis opulentia, inde thronus ejus dicitur Ps. XI. 5.

§. 8. Quæst. II. pag. 208. Rectè docet :
Membro secundo septem contineri petitiones, à Cal-
vino

vino & ejus discipulis secedens, qui odio D. LUTHERI, & innovandi studio duas ultimas contrahunt. Qu. 12. primam petitionem his constare tradit: *Sanctificetur nomen tuum: & quæst. 13. contendit illâ (1.) peti, ut DEUS nobis piam vitam, virtutibus ornatam largiatur, unde excitentur homines ad laudandum DEUM, ex Matth. V. 16. Pia vita supponit sanam doctrinam, quam præterire voluisse Confessores, minimè credendum; quod constare putamus ex (2.) doctrinâ, quam ibi comparere dicit: Ut sc. omnis vita nostra glorie divine seruiat, & illi omnes qui non credunt resipiscant & DEUM agnoscant, quò & per eos nomen DEI concelebratur. (3.) Pro iis hic orationem fundi, qui Christianismi nomen præ se ferentes, flagitiosam vivunt vitam, quorum culpa fit, ut & DEUS & Religio malè audiant, de quibus 2. Tim. III. 5. & Rom. II. 24. ut ad frugem bonam se recipiant. (4) Instruit lectorem: tenendum esse, sanctum quidem per se nomen DEI esse: sed in nobis & à nobis tum illud sanctificari dici, quum nosmetipsos pietate ac sanctitate vitæ, in divini nominis honorem sanctificamus; rectius: cum piæ vitæ studemus.*

§. 9. Quæst. 14. p. 110. afferit: II. petitionem his absolvi: *Adveniat regnum tuum; & quæst. 15. illâ (1.) nos DEUM venerari, ut ipse, non peccatum, in nos totos, præcipuè in corda nostra regnet. Rom. VI. 12. (2.) eam docere: quod homo qui in gratia apud DEUM est, cælestem*

stem letitiam animo percipiat, mundum nihili putet, & unice optet, ut caelestis regiae incola fiat.
 (3.) *DEUM hanc obtestamur, ut secundus ejus adventus quam primum appareat, ex Matth. XXV. 31. utque resurrectionem mortuorum & extremum judicium acceleret, ut sic veniat regnum caelorum, in quo DEUS erit omnia in omnibus. I. Cor. XV. 28.*

§. 10. Quæst. 16. Exhibet petitionem III. *Fiat voluntas tua, sicut in caelo, sic & in terra;* quæ quæst. 17. p. 212. sic explicatur: (1.) *Ille DEUS nos non nobis relinquat, sed ad nutum suum gubernet.* (2.) *Ille nemo voluntati DEI repugnet, sed quemadmodum Angeli in omnibus morem gerunt: sic & homines universi, sine murmure, DEO obsequantur.* (3.) *Nihil electis accidere posse, tum quod ad piam vitam agendam, tum quod ad tentationes hastis atque persecutiones, absque permissu divino, eò quod non nostri tantum, sed & capillorum capitis nostri curam gerat Dominus. Luc. XII. 7. & XXI. 18. videtur longius petitum.*

§. 11. Quæst. 18. pag. 214. IV. petitionem: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie,* proponit; & quæst. 19. illâ expeti statuit: (1.) *animæ nostræ alimentum, Verbum DEI, ex Matth. IV. 4. sine quo interior homo, velut inedia oppressus, emoritur.* (2.) *reliquum animæ pabulum, nimirum communionem Corporis & Sanguinis Christi ex Johan. VI. 55. & ut dignè hoc fruamur, cujus utriusque alimenti ubi participes fue-*

*fuermus, tum in nobis caeleste regnū DEI habituri
 simus. ex Luc. XVII. 21. Reliqua omnia quibus
 indigemus, mantiffa loco datum iri. ex Matth. V.
 33. Ast hæc minimè fuit mens Salvatoris, &
 ea quæ ad animæ pabulum maximè spe-
 ctant, jam tribus primis petitionibus requi-
 fita sunt. Fuit tamen in eâdem cum Con-
 fessione fententiâ Hieronymus Tom. 6. Opp.
 li. Com: in Mat. 6. intelligens de pane spirituali;
 cujus vestigia legunt, qui in Galliâ Doctri-
 na Christiana explicationem Græco vulgari idio-
 mate & latino tradidère; Cardinali Richelio di-
 caam & Parisiis editam Anno 1633. in 8. vid.
 pag. 183. primariò panem spiritualem, secun-
 darò corporalem expeti statuentes. Quibus
 adftipulantur ii, qui Eandem Doctrinam, in
 Linguam Armenam, à Petro Paulo Sacer-
 dote Armeno, versam concinnarunt, & publi-
 ci juris fecerunt; quæ à Societate Typographicâ,
 Librorum officii Ecclesiastici, juffu Regis à Cardi-
 nale modo nominato, (cujus parem Gallia
 non habuit, an habitura fit incertum,) insti-
 tutâ, Parisiis edita Anno 1634. in 4. reg. nam
 & illa contendit primariò panem spiritualem,
 secundariò corporalem innui. Sed miramur
 quod à Catechesi ex Decreto Concilii Tridentini
 ad Parochos Pii V. Pontif. Max. juffu edito Ve-
 netiis Anno 1579. in 12. qui apud Pontificios
 est Liber Symbolicus, cujus sancta esse de-
 bebatur authoritas, recedere ausi sint, quæ
 pag. 533. Ific fentit: Petimus autem hoc
 loco, hujus, quam in terris agimus, vite subsidia,
 san-*

Sanctorum Patrum ita sentientium auctoritate.
 Quos inter eminent *Chrysoſtomus* accipiens de
pane corporali, (â cujus ſententia, cum quan-
 ta ſit ejus auctoritas in Eccleſiâ Græcâ omni-
 bus pateat, cur receſſerit Confefſio, dictu
 haud erit facile. Fortè quod in præceden-
 tium explicatione, nullam fecerat mentionem
 verbi DEI, ubi tamen fieri oportuit, hic vo-
 luit rei prorfus neceſſariæ injicere mentionem;
 ſed præpoſterè) & hunc ſecuti *Lutherus* &
Orthodoxi Interpp. omnes, panis nomine
 tantùm omnia quæ ad victum & amictum
 pertinent comprehendentes. Quod & Confefſio
 in ſequentibus facit, indicans (3.) *id omne*
panis nomine hic venire, quod ad præſentem iane
in his terris vitam commodè ſuſtentandam neceſſa-
rium eſt, tam illud quo alimur, quam quicquid
præterea ad vitam tuendam nobis opus eſt: addi-
 tâ hâc cautione: *ſuffectura non ſuperflua ac de-*
liciarum instrumenta petenda, cum ſtagitiis ſemi-
na & alimenta miniſtrent: de quo *Paulus Rom.*
XIII. 13. & 1. Tim. VI. 8. habentes autem ali-
menta & tegumenta, his contenti erimus. (4.)
 quod autem dicitur: *hodiè, id præſens hoc ſæ-*
culum designare: nam ſeculo venturo fruemur
præſentiâ ipſâ, viſuque DEI, & orta inde letitiâ.
 Quâ ratione voce hodiè, ſolicitudinem de fu-
 turis incertis excludi contendant noſtri *In-*
terpp. notum eſt. Errarunt itaque *Crypto-Cal-*
viniani Wittebergenses, qui in ſuâ *Catecheſeos ex-*
plicatione, (quâ errores Calvinianorum ſub-
 dolè in Eccleſias Saxonicas introducere cona-
 ban-

bantur An. 1571. quæ deindè An. 1572. re-
 cusa cum indicio locorum, ubi ipsorum hære-
 sis in corpore Doctrinæ Philippi extaret, no-
 minis Lutheri nullâ ratione habitâ, in toto
 libello, si præfationem excipias, ubi ejus
 nomen extat, ut sic felicius imponerent Le-
 ctori. Philippi Melanchtonis autem scripta,
 ubique ad firmandam sententiam attulerunt.
 Hic Philippus cum 14. annis post fata *Mega-*
landri superstes fuerit, & ingenii mobilis vir,
 nec par eludendis Calvinianorum artibus, qui
 blanditiis suis in castra sua, in articulo de Sa-
 crâ Cœna, eum perduxerunt, cepit omnium
 ambire favorem, etiam Pontificiorum, uti est in
 confesso per illa, quæ de interimistico libro &
 bello adiophoristico extant monumenta: ut
 magnum prorsus sit discrimen inter Philip-
 pum orthodoxum & heterodoxum; de quo
 vid. Hutteri Concordiam Concordem & Chri-
 stiani Kittelmanni *Ausführlicher Beweis daß*
die Calvinische Lehre vom Abendmahl/ Gottes
Wort ganz zuwider. p. 44. qui legi dignus.)
Ἐπίσσιον dictum volunt ab *ἐπίσσιον* castino;
 quæ interpretatio planè non hic locum habet.
 vide Catech. pag. 102. & Lex. Pasoris p. m.
 241. ubi inter alia observat, *ἐπίσσιον* nec be-
 nè verti per quotidianum, nec per supersub-
 stantialem; sed ex mente *Magni Brentii*, per
 necessarium ad sustentationem zur Nothturfft:
 quia tamen τὸ quotidianum jam receptum,
 merito retinetur; quod hic *ὡς ἐν παραδόξῳ* mo-
 nuisse, junioribus ingratum haud fuerit.

§. 12. Quæst. 20. V. petitionem recitat: *Et remitte nobis debita nostra sicut & nos remittimus debitoribus nostris.* & quæst. 21. p. 217. sic exponit. (1.) *DEUM* rogamus, ut criminum gratiam faciat: eorum maxime quæ post sacrum Baptismum perpetravimus, sive mortalia, sive non mortalia, sive cogitatione, sive facto commissa. (2.) *Fidem nostram adstringimus ad facile ignoscendum hostibus, addens: Eum qui non concedit proximo, nequicquam hanc usurpare petitionem. Imò eam in peccatum verti.* Ps. CIX. 7.

§. 13. Quæst. 22. pag. 219. VI. petitionem: *Et ne nos inducas in tentationem,* sistit: & quæst. 23. Hunc ejus sensum esse asseverat: (1.) *Oramus, inquit, ut ab omnibus tentationibus simus immunes.* (2.) *Sin aliter fieri nequit, ut liberemur ab iis, quæ vires excedunt.* Progreditur porrò ad tradendam tentationum differentiam secundum causas, docens: *Tentationes alias (α) esse à mundo () alias à Diabolo. (γ) alias à propria carne.* pag. 220. (δ) *alias à Tyrannis, qui Ecclesiam divexant a. per erroneas doctrinas. b. per fraudulentas blanditias ac fallaciloquentias. c. per ementita miracula. d. per ostentata opum & honorum auctoramenta, e. denique per vim Tyrannicam, & quidem & per ad afflictiones. ζ coactiones. η publicationes bonorum & sectiones. θ raptus, de quibus conqueritur, quod hæc omnia nostris temporibus plus satis experiamur. Quod illis, qui in Ecclesiâ pressâ, ut Græci vivunt, evenire non est* du-

dubium. Cæterum hæc 4. Tentationis species, ad primam, quæ immundo mundo tribuitur, commodè refertur. (3.) *DELLM* rogamus, si contingat, ut vitam & sanguinem pro sanctissimo ipsius nomine, pro S. Ecclesiâ illius sponsa, pro veritate Evangelii profundamus: ut tum gratiâ suâ nos corroboret & sustentet, quo cruciatuum sevitiam nobis intentatam, masculè & constanter ad extremum usque halitum sustinere queamus: atque in cælo coronam martyrii recipiamus. (adde: ex gratiâ.)

§. 14. Quæst. 24. VII. tradit petitionem: Sed libera nos à malo. & quæst 25. p. 221. sic lucem illi fœneratur, peti (1.) ut *DELLS* nos ab omni malo, à peccato & probro tueatur. (2.) Ut gratiâ suâ nobis adsit, quo iram ejus effugiamus. Pfalm. VI. 1. (3.) Ut ex aliis malis quibuslibet eripiamur, qualia sunt, annonæ caritas, pestilentia, bella, incendia &c. (4.) Ut ab animam aëturis propulset Stygii hostis insultus, & gratiam largiatur sub gratiæ suæ clypeo, Angelique custodis præsidio ac ductu piè decertandi. Quæ hic de uno Angelo custode afferuntur, ejusmodi sunt, ut certo in Scripturâ Sacrà fundamento destituantur. Non uni enim, sed multis Angelis curam fidei esse commissam, ex Ps. XCI. ii. constat; majoremq; dum hæc sententia nostra affert consolationem, illi merito præferenda. Interim Confessio habet sibi adstipulantes Pontificios & Calvinianos nonnullos: quorum sententia tamen, ut hæretica non est

traducenda : quippe quæ cum nostra non pugnet adversâ fronte : licet omnes circa hoc argumentum Papistarum opiniones, nec probandas nec tolerandas censeamus. vid. *Dn. Doct. Schertz. Brev. Hulf. Enucl. cap. 3. th. 13. pag. 184.* (5.) *Ue ab æternis inferorum cruciatibus liberemur.*

§. 15. Quæst. 26. pag. 223. Epilogum : *Quoniam tuum est regnum & potentia & gloria in secula. Amen.* tradit : quæst. 27. illum esse bimembrem ostendit. Prius : proæmio probè convenire ait ; quippe ut proæmium spem facit nos impetraturos quæ petimus, cum res nobis sit cum Patre indulgentissimo : ita Epilogus eandem spem confirmat, docendo mundum esse hujus Patris peculium : cujus potentia & gloria nihil in terra aut cælo resistere valeat ; qui omnia largiturus ob nominis sanctiss. gloriam, cum dicatur : *& gloria in secula.* Membrum posterius, voce *Amen* absolvi dicit ; quo petimus ut omnia nobis eveniant, quemadmodum precati sumus. Melius dixisset : quo certi reddimur, uti habet *Megalander Lutherus.* De voce *Amen*, quam *Hieronymus* signaculum orationis Dominicæ appellat, erudito planè & satis prolixo opere egit Præceptor noster b. m. Vir supra laudem nostram, *Dn. D. Martinus Brunnerus*, qui consulatur dignissimus, ed. Ups. 1679. in 8vo.

§. 16. Quæst. 28. expendit : *An Epilogum cum Oratione Dominica sit nexus ; & asserit Esse, & (1.) ipsum Christum orationis hujus autorem*

*morem eo usum Matth. VI. 13. (2.) Non repugnare orationi. (3.) Eodem orationem adstrui. Subjungit (1.) homines seculares verbis Epilogi abstinere quidem: Sed (2.) nihil impedire, quominus in publicis Ecclesie precibus, imo & privatis si Clericus adsit, ab ipso adhibeatur, ad adstruendam orationi auctoritatem: imò (3.) nec si privatim quis ea protulerit, peccare. (4.) concludens: melius esse si nunquam ab oratione Dominicâ, hæc verba sejungantur. (5.) Rationem dat, cur Sacerdos in publicis precibus ea proferrat, sc. majoris dignationis causa: Cui & nos subscribimus, cum ad essentiam Orationis pertineant: quod contra Pontificios eam ex libellis catecheticis excludentes, haud dubie quia in Vulgatâ, à Synodo Tridentino canonizatâ, non leguntur, & in specie Maldonatum, affirmant Doctores nostri. Nec nobis officit *Lutheri*, clausulam omittentis, auctoritas, *Lucam* sequuti: cum *D. Fridlibio teste Medull. Theol. pag. 278. summam ejus in explicatione vocis Amen tradiderit.* Nec Patrum hanc clausulam excludentium, *Cypriani, Tertulliani, Ambrosii, Hieronimi & Augustini augustissimi factum* nos movet; cum iis Patres eam adhibentes, *Chrysostrum, Theophilactum*, alios opponamus. In Agendis nostris Ecclesiasticis utriusque Evangelistæ vestigia legimus. In formula Sacræ Coenæ, *Luca.* In formula Baptismi & Conjugii, *Matthæi*; apud quem *Vulgata*, ausu plusquam temerario, imò*

sacrilego, clausulam hanc omisit; quam nec editio, *Sixti V.* Pontificis jussu recognita ac castigata, quin & sub *Clemente VIII.* denuò sub incudem revocata, restituit, *vid. Edit. Colon. Anno 1638. in 8vo.* quanquam præfatio affirmet, & Hebræos & Græcos fontes adhibitos, à Revisoribus Cardinalibus, aliisque Viris doctissimis. Ex hâc orationis Dominicæ explicatione patere putamus, in quam paucis ab expositione *D. Lutheri* discessum; nec nos pœnitere debere assertionis in *Exercit. nost. de Rel. Moscov. Part. I. cap. 1. §. 19. pag. 33.* positæ.

CAP. II.

De Novem Beatitudinibus.

§. I.

Quæst. 29. pag. 227. Cum dixisset: *Beatitudines ad spem firmandam conferre,* & sic methodi rationem tradidisset, quærit: *quot sint?* ex *Mat. V. 2. seq.* respondens: *Esse novem:* adducens præterea *Chrysostomum* (*Homil. in 1. Cor. XV. 28. Tom. 3. 992. Lat.*) præeuntem dum dixerat: *Moses decem præcepta dedit. At Jesus Mosi Dominus, novem beatitudines, triplici ternario coronam parans.*

§. 2. Quæst. 30. 1. Beatitudinem dicit esse hanc: *Beati pauperes Spiritu, quoniam illorum*

lorum est regnum cælorum. quæst 31. pag. 228.
 Eam hanc doctrinam complecti statuit : *agi*
de opibus rebusque mundanis ; perperam : hinc
 quæ subjungit , firmo talo non stant : *avari-*
tiam hic damnari ex Psal. LXII. II. *Et ad an-*
tiquam Christianorum perfectionem, nihil propri-
um habentium conformandam vitam ex Act. IV.
 32. Nam primitivæ Ecclesiæ nascentis pecu-
 liaris erat ratio : nec perfectionem per com-
 munionem bonorum quærebat , aut lucrata
 est : & si omnia deberent esse communia ,
 quorsum septimum ex decem præceptis ?
 Fallit itaque dicendo : *hanc virtutem pauper-*
tatem appellari spiritualem. Ipsamet confessio
 videns asserti absurditatem , quod omnia ju-
 bet esse communia , paulò post *unicuique as-*
signat quantum ad equalem victum cultumque
vite, justa estimatione, satis est. Virtutis hujus
 primas dum docet ferre Religiosos & Monachos,
 longè à veritatis linea aberrat ; prout Disp.
 de Vot. Mon. cap. 10. §. 7. 9. evicimus. *Nec ul-*
lam inde spem mercedis in cælo fovere queunt.
 Quod Monachos ne quidem de vestitu & alimen-
 tis vult esse sollicitos , & parvo contentos ex I.
 Cor. IV. II. tutò facere potest : & Monachi
 illi obedire queunt consilio : cum ab aliis
 ipsis prospectum sit plus satis. Nec Apostoli
 dictum in illos quadrat : cum Catones simu-
 lent , & Bacchanalia plerique vivant. Quod
 subjicit : *ob hujusmodi tolerantiam regnum cæ-*
lorum præmium proponit Christus : nullo Spiri-
 tus

tus Sancti testimonio corroborabitur. *DEI donum cum sit* : Ephes. II. 8. in eo Spiritui Sancto contradicit, quisquis impiæ illi accesserit sententiæ. Quæ deinde subjungit, *de operibus sanctè acquirendis & habendis, & in necessitatibus Ecclesiæ, pauperum, peregrinorum, agrotorum &c erogandis ad exemplum Zacchai Luc. XIX. 8.* utut verbo DEI conformia, hujus tamen non sunt loci : quemadmodum nec sequentia : *Helluones ad mendicitatem redactos, nihil lucrari : si autem ad frugem bonam se receperint, mercede suâ non defraudandos.* Agit enim Salvator de paupertate tali, quæ tantum consistit in agnitione peccatorum & dolore de bonis operibus omissis, uti observavit *Flavius Illyricus*, Comment. in Mat. V. meritis in Ecclesiam dum vigeret Controversia Interimistica & Adiaphoristica clarissimus, quin & Crypto Calvinianorum malleus, immortalem gloriam, Clave Scripturæ S., Catalogo Testium Veritatis, Comment. in N. T. adducto, Centuriis Magdeburgensibus & aliis scriptis utilissimis consecutus ; in eo unico infelix, quod in Disputatione contra *Sophistam Strigelium*, fervore abreptus statueret, *Peccatum Originale esse substantiam* : quem errorem dein alii insecuti, uti docet *Jenensium Theologorum Præfatio*, novissimæ editioni Clavis Scripturæ præmissa : unde adversariis veritatis hostibus, ansa calumniandi & Scripta & famam Viri, hunc si excipias

lapsum, incomparabilis, & in persecutionibus hostium perferendis ac superandis constantissimi: vide apud *Hofm. Lex Univ.* Tom. I. p. 1009. adversariorum elogia; quanquam Thuanus, præter morem, in ipsum fuerit iniquior.

§. 3. Quæst. 32. pag. 331. Secunda Beatitudo hæc dicitur: *Beati qui lugent, quoniam consolationem accipient*: & quæst. 33. pag. 232. dicit: (1.) *beatos esse, qui ob peccata lugent & lacrymas fundunt, ex Jer. L. 4. illos autem qui ob miseras & damna tristitia se dedunt, hujus beatitudinis non esse participes.* (2.) *qui ob peccata proximi mœrent, & hereticos & profligata vite homines in viam reducere tentant.* (3.) *qui oppressionibus Magnatum exagitantur, nec non Martyres &c.*

§. 4. Quæst. 34. p. 234. III. Beatitudo proponitur: *Beati mites, quoniam ipsi hereditatem terræ accipient*; quam quæst. 35. p. 234. sic explicat. (1.) *Injungi mansuetudinem & moderationem, seu obedientiam DEO, Ecclesiæ Christi, superioribus exhibendam.* (2.) *Beatos qui nulli molesti aut graves.* (3.) *Qui bona sua opera rejicula esse dictitant.* Excipit eos qui ex officio alios increpare tenentur, hos non excidere beatitudine. Gal. VI. 1. *Hos hereditatem terræ promissæ adituros, & in hac vita beneficiis DEI gavisuros: & in futurâ vita bonis DEI fru- turos.* Psalm. XXVII. 13. ubi iterum bonis operibus nimium defert Confessio. Hic præ-

cipuè terram, quæ nobis domicilium in hæc vitâ præbet, esse intelligendam affirmare quid prohibeat, non video; cum vero sit similitimum, Salvatorem ad Psalm. XXXVII. II. 22. & 29. respexisse; ubi sic Psalmista locutus: V. II. *Mansueti vero hæreditario jure possidebunt terram, & oblectabunt se in multitudinis pacis.* V. 21. *justus vero gratiam facit & donat.* vers. 22. *quia benedicti ab illo, hæreditario jure possidebunt terram: maledicti vero ab illo excidentur.* Suec. *Men then rättferdige är barmhertig och mild. En hans wålsignade ärfwa landet / men hans förbannade warda uthrotade.* Oppositio inter benedictos & maledictos, nostram firmat sententiam.

§. 5. Quæst. 36. pag. 237. IV. describit: *Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* quæst. 37. ita eam declarans: *Beatos esse qui injuriâ læsi, nullo in foro prætorioque jus suum obtinere possunt; post pauca iudicibus præscribens, qua ratione juri dicundo operam dare teneantur* ex Es. I. 17. & Psal. X. 17. quæ nimis coacta est explicatio. Est namque hic sermo de justitia, quâ in conspectu DEI justii comparere queamus, intuitu justitiæ Christi, per fidem applicandæ. Si deinde secundariò de studio justitiæ, quæ jus suum unicuique tribuit, quoque agi quis contendat, videtur tolerari posse.

§. 6. Quæst. 38. p. 239. V. comparet: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam*

consequentur ; atque quæst. 39. hâc doceri asserit : *Beatos esse homines , qui officia misericordiae & humanitatis præstant.* Hinc quæst. 40. ostendit : *Officia misericordiae esse duplicia : alia ad corpus , alia ad animam spectare ,* ex Theophyl. in cap. 25. Matth. p. 112.

§. 7. Qu. 41. p. 240. *Tradit esse septem officia , quæ ad corpus pertinent. (I.) Esurienti cibus dandus , ex bonis justè acquisitis ,* ex Mat. XXV. 35. & Prov. III. 9. *Elemosynam autem dandam , non tantum mendicis & qui in valetudinariis jacent : sed & iis qui præ verecundia stipem corrogare nequeunt. Cavendum denique ne inde laus queratur ,* Mat. VI. 2.

§. 8. Qu. 42. p. 241. (II.) *Opus misericordiae , ut potum sitienti præbeat ; & vel unico gelidæ aquæ haustu , hanc aliquem consecuturum Beatitudinem* ex Marc. IX. 41. *& huic officio includi omnia officia pauperibus præstanda affirmat ; quod gratis dicitur , cum in antecedentibus & sequentibus , ex his peculiare genus officiorum constituat. Nam quæst. 43. (III.) Opus Misericordiae , ut nudos vestiât : annon hoc opus pauperibus exhibendum ? Vult autem non tantum planè nudis , sed & tenuiter vestitis succurrendum ,* ex Matth. XXV. 36. Quæst. 44. (IV.) *opus : Ut carceri mancipatos , cujuscunque delicti reos visitet , ne in desperationem ruant. ex loc. cit.*

§. 9. Quæst. 45, pag. p. 244. (V.) *Infirmos , etiam ignotos , visum eat : ubi quâ ra-*

*ratione ægroti excipiendi explicat satis prolixè & piè. (1.) Erunt Consolandi. (2.) Hortandi ut sine murmuratione, cum gratiarum actione ferant. (3.) Autor sit edenda confessionis & recipiendi mysteria Eucharistiæ & Olei consecrati. Hujus usus cum præter Scripturam introductus, tutò negligitur, uti Exerc. part. 1. Sect. 2. c. 25. pag. 243. docuimus, superstitionem quoque redolet, quod huic vis sanitatem restituendi tribuitur. (4.) Preces ipse fundat, & publicis Ecclesiæ precibus se commendat; & patrem Spiritualem advocet. (5.) Monebit ne in superstitiones, vetitasque ab Ecclesia artes incidat, & valetudinem procuratum eat, magicis carminibus, pactis cum Diabolo &c. plus noxæ quam sanitatis allaturis: Sed in DEO omnem fiduciam reponat. (6.) Medicamentorum, à peritis Medicis paratorum usum suadeat. (7.) Contagiosa lue infectos, per homines ejusmodi morbos sine noxâ tractare adsuetos erigat. Hæc si à nobis servarentur, multorum ægrotorum felicior esset conditio, & nos Charitati Christianæ in hoc passu litasse censerî possemus. Quod addit: *Vistationem hanc homines in mundo & cælo beatos reddere, ex venenato fonte de O. B. meritis fluxit, & rejiciendum.**

§. 10. Quæst. 46. p. 247. *Sextum officium misericordiæ consistere in eo, ut adibus peregrinum hilari vultu animoque excipiamus. Primas quidem defert illis, qui ex voto loca sancta adeunt: Sed hi omnium indignissimi sunt*

hōc beneficio , cum sic superstitionem illo-
rum alamus , & peccatorum ipsorum com-
plices reddamur. Quod subdit: *speciatim illos
qui in plateis agroti jacent , aut in viis mendicant
esse in edes conducendos* , calculum mere-
tur candidum : cui tamen monito , inter nos
quam pauci sunt , qui obtemperant ?

§. II. Quæst. 47. *Septimum opus mise-
ricordie , ut mortuos quis sepeliat : pauperes in-
primis ; conferat quæ sepultura necessaria , secun-
dum piam Christianorum consuetudinem , ex
Tob. c. II. ubi propinquus excessit cum comitatu
orthodoxorum piorumque hominum , id officii im-
pleri rite affirmat. Consilium orandi pro animâ
demortui , commune habet cum Pontificiis ,
quorum ut & conjugis Reginae , Romanis Sa-
cris addictæ , suggestionibus abreptus JO-
HANNES III. Rex Sueciæ , & pietate & e-
ruditione clarissimus , hanc consuetudinem
orandi pro mortuis , in Ecclesias nostras re-
ductum ivit. vid. Bazius in Hist. E. L. 3. c. 13.
pag. 365. ubi Dn. Laurentio Petri , Gottho in
Archiepiscopum electo 17. articuli , ante con-
firmationem sui officii adprobandi , à Secre-
tario propositi , quorum II. De oratione pro
mortuis in sepulturâ eorum publicè recitan-
da agens , non minus ac reliqui omnes , ad
postliminio introducendas abominationes pa-
pales , comparatus ; verum Ecclesiæ Doctori-
bus , licet ipsimet Archi-Episcopi Laurentius
Petri Gotthus & Andreas , & plurimi Regi assen-*

tirentur, sese objicientibus, conatus in fu-
mos abiit. Vid. *Baz. l. 1. c. 65.* & Reverendiss.
D. Paulini Hist. Arct. L. 3. p. 308. Cujus Monar-
chæ lapsu, discant Principes sapere, nec alie-
næ religionis thori sociâ facilè adsciscant, nec
Jesuitarum blanditiis aures præbeant.

§. 12. Nunc progrediuntur Confessores
ad enumeranda officia misericordiæ quæ a-
nimam respiciunt, quæ quæst. 48. pag. 249.
Septem esse statuunt. Primum quidem *ut pec-
catorem à peccato debortemur.* ex Jac. V. v. 19.
Observandum, hoc ita debere fieri, ne (1.)
in desperationem adducatur, vel (2.) ad nimiam
divinæ misericordiæ fiduciam. Hæc fiducia si
verbo DEI nixa, nimia esse non potest. Sin-
minus, nec tum nimia, sed Pharisaica, ad-
eoque nulla. Erit itaque intelligendus hic
locus, de vanâ & nullo fulcimine nixa præ-
sumptione. Addit, quod *si quis impar huic officio*
obeundo, alius querendus. Quæst. 49. pag. 252.
Secundum officium in eo consistere dicit [1.] *ut*
indoctum ad pietatem instruat, vel peritiorum sub-
stituatur. [2.] *Addoceat modum bene orandi;* [3.]
modum facilimè servandi mandata divina. [4.]
Instituatur pueros parentibus orbos, qui postea Ec-
clesiæ & Reipublicæ emolumento sint, [5.] *quod*
qui negligit, talenti rationem reddet, Matth.
XXV. v. 30.

§. 13. Quæst. 50. pag. 252. Tertium (1)
Consilium rectum det illi, cui opus est; & qua ra-
tione hoc fit exponit. (2.) *Insidias in caput ipsius*
com-

paratas detegat. Sic tamen, ne inter ejusmodi homines, capitaliora odia gravioraque pericula inde existant. Quæst. 51. pag. 254. Quartum: Ut DEUM pro proximo oret: quod præcipue Presbyterorum est: deinde etiam secularium; de quo in sexto præcepto Ecclesiastico dictum.

§. 14. Quæst. 52. Quintum: *ut mæstum consolemur: Nec illi causam mæroris demus. Rom. XII. 18. quò majori calamitate oppressi, eò majori studio erigendi. Quæst. 53. Sextum: ut injurias æquo perferamus animo: maxime si pro Christo perferenda: ex I. Pet. II. 21. (2.) Nec malè illis cupiamus qui nos vexant, ex I. Petr. III. 9. (3.) DEO gratias agamus, & ut inimicis ignoscat oremus. Quæst. 54. pag. 256. Septimum: Ut delicta in nos, aliis libenter condonemus, idque non semel, sed vel septies vel septuagies, ex Matth. XVIII. 22.*

§. 15. Nunc redit ad *Sextam beatitudinem explicandam, quæ quæst. 55. p. 257. sic exprimitur: Beati mundi corde, quoniam ipsi DEUM videbunt. Huic autem quæst. 56. sequentia lucem affundunt: Castitatem commendari. Castum ac continentem esse debere, tum corpore, tum animo, tum omnibus cogitationibus, qui DEUM videre desiderat. Impuras autem cogitationes, divinæ gratiæ præsentiam ex animâ expellere. Sed hæc munditia sanguine Christi comparata, fide excipienda.*

§. 16. Quæst. 57. pag. 258. *Septima beati-*


citudo sic habet : *Beati pacifici, quoniam ipsi filii DEI nominabuntur ; quæ quæst. 58. dicitur docere : (1.) Premium hujus beatitudinis auferret, qui quotidie incruenta sacrificia offerunt. Quælia Sacrificia cum vera Ecclesia ignoret, quid de hac assertione statuendum, per se evidens est, & nos Exerc. part. I. Sect. 2. cap. 26. §. 7. pag. 247. breviter indicavimus. (2.) qui dissidia hominum tollunt & eos reconciliant sibi inimicem ; (3.) qui Consiliis causas bellorum sistunt, ne effusiones sanguinis existant : quorum operâ hoc tempore indigemus, quam quo maximè.*

§. 17. *Quæst. 59. Octava beatitudo consistit in hoc : Beati qui persecutionem justitiæ causa sustinent, illorum enim est regnum cælorum. Ad quæst. 60. quidnam docet hæc beatitudo? Resp. Beatitudinem hanc illorum propriam esse, qui veritatem intrepidè eloquuntur, hominumque improborum scelera atque pravitatem graviter coarguunt ; quâ ex re usque adeò multum invidiae offensionisque colligere solent, ut per sepe mortè ipsâ multentur, quod Johannes Baptista ab Herode perpassus est, Matth. XIV. 10. itemque alii: quo in numero omnes Ecclesiæ Doctores, præcones Evangelii Confessoresque continentur, qui ob veram doctrinam ac salutarem institutionem suam, sæpenumero à discipulis auditoribusque suis, meræ odia, ingratiq; animi mercedem reportant.*

§. 18. *Quæst. 61. p. 261. Nonam Beatitudinem hæc absolvunt : Beati estis cum probra in vos homines conjecerint, & persequuti fuerint,*

Et dixerint omne malum verbum adversus vos, mentientes propter me. Gaudete Et exultate, quoniam multa est merces vestra in caelis. Et quæst. 62. docet: Hâc Beatitudine frui Apostolos, Martyres, eosque omnes, qui persecutione ob Orthodoxam Et Catholicam fidem premuntur, quique insectationes vexationesque sufferunt, facultatibus, honoribus, redditibus exuuntur, ejiciuntur in exilium, domique etiam crudeliter Et medio tolluntur, fuso ipsorum cruore;

§. 19. Quæst. 63. p. 262. quærit, quam sententiam convenit habere de operibus hisce, quibus beatitudinis premium propositum est? Respondens: (1.) Esse connexa: ut qui unâ penitus destituitur, destituatur item cæteris omnibus. (2.) Illos qui ea præstant, non solum in cælo fruendam habere beatitudinem; verum etiam in hâc vita ex gratia divina, (quod si ad utrumque membrum retuleris, veritati consona est sententia) uberem bonorum temporalium fructum percepturos, ex Matth. XIX. 29. & Marc. X. 29, 30. Nemo est qui reliquerit domum, aut fratrem, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut liberos, aut agros mea Et Evangelii causa, quin recipiat centuplicia, nunc in hoc tempore domos, Et fratres Et sorores Et matrem, Et liberos, Et agros, cum persecutionibus, Et in seculo venturo vitam eternam.



CAP. III.

Confessionis Ecclesiæ

Orientalis

PARS III.

De Charitate in DEUM & proximum: in specie de Virtutibus.

§. I.

QUæst. I. pag. 264. traditur: *Tertiam Confessionis partem agere de Charitate in DEUM & proximum, quam Decalogus complectitur; quod autem subdit: quod JESUS Decalogi auctoritatem denuo sanxerit, ejusque doctrinam plenius, perfectiusque adstruxerit, ex Matth. V. 19. si dextrè accipiatur, verum est. Non quod nova præcepta legi adjecerit, uti Pontificii, Sociniani & alii contendunt: Sed quod à Christianis perfectiorem obedientiam requirat: cum & majori luce illi sint collustrati, & uberiori Spiritus Sancti donorum effusione sint beati. De quâ obligatione etiam in primâ Parte monuit Confessio. Vid. Exercitat. nost. Part. II. c. 10. §. 5 p. 21.*

§. 2. Quæst. 2. p. 265. præmittit (1.) *Præcepta DEI alia mandare bona, alia prohibere mala (2.) ad rectè intelligendum præcepta, primum*

num cognoscendum quid bonum, quid malum sit; sic reddit rationem tractationis. (3.) Se primo de *Virtutibus ac Vitiis*; postea de *Decem Præceptis* dicturum promittit. Verum inverso ordine procedit tractatio. Neq; enim nobis constare potest, quæ inter bonum & malum sit differentia, nisi actiones nostras ad regulam legis divinæ examinaverimus: de præceptis itaque priori loco fuisset agendum. Consentientes nobis habemus Pontificios, in Catechesi vulgari Græcâ & Armenâ, Decalogi expositionem præmittentes doctrinæ de Virtutibus. Sed nos legamus vestigia Confessionis.

§. 3. Quæst. 3. quærit: *quid de Virtutibus seu B. O. sentiendum?* Subjiciens hanc responsionem: *Esse fructus ex Fide velut bonâ arbore nascentes*, Matth. VII. 16. & Joh. XIII. 35. & in I. Epist. II. 3. addens hanc descriptionem: *Bona opera esse impletionem (potius observationem dicendum) præceptorum DEI, quæ quis libenter exsequitur, divinis auxiliis adjutus, concurrente item humano intellectu, cum propria ejusdē voluntate, (adde regenitâ) eaque ab amore DEI proximique oriri ac proficisci, quando ab omni earum rerum impeditioe homo liber, quæ veri impedimenti nomine venire possunt.*

§. 4. Quæst. 4. p. 267. *Christianorum virtutum maximè necessariæ dicuntur: Fides, Spes, Charitas.* I. Cor. XIII. 13. *de prioribus jam actum: de hac in præsens agendum.* Quæst. 5. pag.

pag. 267 *Docet ex his oriri tres alias virtutes: Orationem, Jejunium, Elemosynam: quibus abusive tribuitur nomen virtutis. Quæst. 6. indicat, de Oratione, actum esse in part. 2. Confess. & quæst. 7. explicat quid sit jejunium sc. quantum in numero virtutum Christianarum habetur: Esse abstinentiam ab esculentis omnibus, aut saltem quibusdam, puta, si morbus urgeat. Similiter & à potulentis, rebusque mundi omnibus & ab omnibus pravis cupiditatibus, ut tanto expeditius tranquilliusque precibus suis incumbere, DEUMque placare homo Christianus possit. Tum ut cupiditates corporeas perimat & excindat, DEIQUE gratiam recuperet, ex 2. Cor. VI. 4. seq. Joël: II. 15. & 16. valere ad DEUM propitiandum, sicut in Urbe Ninivitarum. Sic quo fine suscipiendum indicat. Sunt hic mala mixta bonis: & quemadmodum jejunia ad promovendam devotionem, & corpus castigandum non inutilia censemus; ita eadem DEUM placare, & nos ejus gratiæ participes reddere posse pernegamus. Vid. Part. I. Exerc. nost. Sect. I. c. 15. §. 6. pag. 144. & Sect. II. cap. 22. §. 4. p. 233. Nec jejunium morbi causam susceptum, huc referendum.*

§. 5. *Quæst. 8. p. 270. Duplex statuit jejunium, aliud quod statis temporibus fit, ut 4. jejunia anniversaria & hebdomadaria diei quarti sextique: aliud fortuitum, quod casu semel contingit, ob causas in certis Ecclesiis ac provinciis existentes, & à summo Antistite Ecclesiæ indicatur.*

ut obsequium Ecclesie præstetur diligenter servandum; aliud esse commune quod universa observat Ecclesia; aliud proprium, quod peculiaris provincia vel privatus tenet, vel quod à Confessore injunctū: quæ omnia superstitiosæ opinioni de satisfactione pro peccatis debent originem; meritò ex Ecclesia eliminanda.

§. 6. Quæst. 9. p. 271. Statuit: *Elemosynam esse opus misericordiæ, quando quis beneficium in animam (hujus generis beneficia abusivè Elemosyna dicuntur) aut corpusculum cujusdam, cui eo beneficio opus sit, confert, non habitâ ratione hominis illius, qui Elemosynæ illius indigus est. Vult dicere: dignus ne an indignus sit. Esse (1.) homini Christiano maximè necessariam virtutem, quod probat ex Tob. XII. 9. quem S. Scripturæ libris perperam annumerat, cum sit extra canonem. Quod sententiam Tobix concernit, non video quomodo conciliari queat cum aliis Sacræ Scripturæ locis; nam dum dicit: quod *Elemosyna à morte liberat; à veritate omnino abit. Cum asserit expiare peccatum, illi tribuit quod merito Christi unicè tribuit Spiritus Sanctus. Confessio felicius longè adduxisset Psal. XLI. v. 1, 2, 3, 4. Ex Novo Testamento adducit Mat. XIX. 21 & XXV. 40. & 34. Not (a) quod thesaurus pro gratuito dono accipiendus: (b) nec indicatur, quare hæreditatem adituri, sed qui eâ gavisuri. (2.) Elemosynam jejunio conjunctam orationem DEO acceptam reddere, ex Actor. X. 4. utcunque conatur**

natur probare. Sed nihil eam verè gratam reddit, præter fidem Sanguini Christi innixam. Tandem (3.) hanc virtutem omnia misericordia officia complecti, gratis asseritur, cum potior pars eo referri nequeat.

§. 7. Quæst. 10. pag. 273. Ex istis tribus, quatuor Virtutes generales, orini affirmat, ut sunt: Prudentia, Justitia, Fortitudo, Temperantia. Quæst. II. Prudentiam Christianam esse sollicitudinem circumspectam, ne DEUM proximumve ullâ sive actione, sive cogitatione offendamus, Mat. X. 16. Hæc uberius exponentem, adducit Paulum Eph. V. 15. Eam fundari ait in munditiâ & germanâ cordis simplicitate, in omni honestate & equitate ac judicio, ne hostes nobis imponant.

§. 8. Quæst. 12. pag. 274. Quid Justitia sit ita exponit: Esse virtutem suam ac debitum, cuique tribuens; idque sine respectu personarum, seu pecuniam seu existimationem concernat. Christiana autem justitia non modo malum bono compensat, sed nec permittit, ut malè de nobis merito malè velimus. Rom. XII. 17. & Rom. XIII. 7. Quæst. 13. p. 275. Disquirat: an iudices peccent in fontes animadvertendo? Resp. non peccare, ex Rom. XIII. 3.

§. 9. Quæst. 14. p. 276. Temperantia dicitur mediocritas servata in cibo ac potu, ac vestitu. Cum addit: item in dictis factisque omnibus, impropriè valdè loquitur. Hujus enim obiectum non sunt dicta vel facta. Rom XIII. 13. in eius commendatione adducit. Locus I. Cor. XIV. 40. huc non esset trahendus. 6. 10.

§. 10. Quæst 15. p. 277. *Fortitudinem, ut Christiana virtus consideratam, esse constans animi robur ad sustinendas procellas ab invisibili æquæ ac visibili hoste excitatas, ex Rom. VIII. 35. 38. ubi eam constantiam describi indicat: de quâ se in superioribus quoque egisse monet. Eandem de virtutum harum origine & indole sententiam fovent, Catecheses Pontificiorum vulgaris Græca & Armena, quibus præfero Confessionem, sua ex Sacra Scriptura vel probantem, vel probare conantem, quod Pontificiæ Catecheses adductæ non faciunt.*

CAPUT IV.

De Peccato in genere & in specie.

§. I.

Quæst. 16. pag. 278. In peccati indolem inquirens dicit: *nullam per se existentiam habere, cum non sit creatum; inde esse, quod explicari nequeat quid sit; non absurde dici: Esse infrenatam indomitamque hominis ac Diaboli voluntatem.* Hæc duo, causa potius peccati dicenda, quam ipsum peccatum. Dein docet: *Esse iniquitatem, ex 1. Johan. III. 4. seu transgressionem Legis Divinae, quæ est contrarietas voluntati DEI repugnans, profecta ex animi sensu & deliberato consilio.* Quo ipsa restringit descriptionem ad certum peccati genus; vel cum Pontificiis unum inflat cornu. His enim

nihil potest habere rationem peccati, nisi formaliter sit voluntarium & deliberatò commissum. Vid. *Bell. L. 5. de amiss. gratiæ. c. 18. &c.* cum tamen Confessio de eo agat in genere. *Ex eo mortem oriri & iram DEI,* ex *Jac. I. 15* benè deducit.

§. 2. Quæst. 17. Duplex esse peccatum: mortale & non mortale, contendit. Dum autem dicit qu. 18. mortale esse facinus planè vetitum, vel bonum non factum spontè & pleno arbitrio, unde *DEI* proximique *charitas refrigeratur*, ejus naturam non est assecuta Confessio. Melius eam detexit *D. Laurentius P. Gothus*, tempore *JOHANNIS III. R. S. Archiepiscopus Upsal.* (Liturgiæ promotor summus, cujus & author videri voluit, cum tamen aliis suos debuerit natales;) qui in Catechesi suâ *Stockholmia* apud *Torbernum Tidemanni* An. 1576, in 8. edita, (cujus quod nec *Dn. Bazius in Invent. l. 3. c. 66. pag. 503.* ubi de libris sub Regimine dicti Regis agit, nec *Celeb. Dn. Schefferus Suec. Lit. p. 31.* ubi hujus Archiepiscopi scripta recenset, meminert, mearum credidi partium illius hic injicere mentionem; quæ utut nævis non careat, laudem tamen meretur, quod articulum de Justificatione, salutis proram & puppim, ritè tradiderit) *Lit. A. fol. 7.* rectè nullo peccatum naturâ suâ veniale statuit, quod tamen Confessio cum Pontificiis supponit; pessimè, uti id evicit *D. Schertz. Brev. Hulf. enucl. cap. 5. th. 19. pag. 295.* Cum dein dicit ex *Rom.*

VI. 23. *nos didicisse eo, quo ipsa existimat, sensu peccatum appellare mortale, itidem aberrat à vero, cum jam dixerimus omne peccatum naturâ suâ mortale. Vide Schertz. l. c. th. 13. p. 298. Hinc constare putamus sequentem assertionem: nuda vera consensio, per quam peccatum se commissurum quispiam destinat; grave illa quidem animæ vulnus imponit non tamen penitus enecat; rejiciendam, cum falsissima nitatur hypothese.*

§. 3. Quæst. 19. pag. 280. *Mortale peccatum dicit aliud esse: Originale, aliud voluntarium, & qu. 20. p. 281. De hoc peccato sequentia tradit: Peccatum Originale, inquit, est transgressio Legis DEI, quæ in Paradiso Adamo generis humani auctori, verbis Gen. II. 17 extantibus data est. Hoc dicendum fuisset primum, Originans, vel avitum, uti nominatur in Confess. part. I. quæst. 26. p. 56. Vid. Exerc. nost. part. 2. cap. 10. p. 202. ex quo deinde Originale fluxit. Vid. D. Schertz. l. c. p. 258. De propagatione hujus peccati dum ita sentit: Originale hoc peccatum, ab Adamo per universam naturam humanam pervasit; quoniam omnes in Adamo, illo tempore, continebamur; eaque ratione per unum Adamum in nos omnes permeavit peccatum: Idcirco hâc labe inquinati concipimur omnes ac nascimur, ex Rom. V. 12. à Socinianis, Weigelianis, Arminianis & Pontificiis, reatum tantum propagari docentibus, se separat, & orthodoxam tuetur sententiam. Subjiciens vero, hoc-*

ce hereditarium peccatum nulla pœnitentiâ extirpari posse, sed tantummodo ex gratia DEI, per opus redemptionis Domini nostri JESU Christi, in assumpta carne confectum, ejusque pretiosi sanguinis profusione, iterum falsâ hypothesi delusi sunt Confessores; omnia enim in univèrsum peccata, gratiâ DEI & ob meritû Christi condonantur. Nulla autem per propriam pœnitentiam satisfactoriam, qualem hæc docuit Confessio, de quâ Exercit. nost. Sect. 2. cap. 28. pag. 252. Pergit docendo: id fieri per baptismum; addens: quo quisquis non tinctus est; ille nondum ab hoc peccato expiatus est; Sed ira divine eternique supplicii reus manet, ex Joh. III. 5. Ubi (1) soli Baptismo tribuit, quod fidei è verbi auditu natæ Rom. X. 17. licet Baptismo destitutæ, Rom X. 10 quoque competit, sine quâ Baptismus nihil proderit (2) Baptismi necessitatem facit absolutam; cum summa licet sit, tamen non absoluta, ut sine illo nemo salutem adire queat. Habet namque hic locum dictum Augustini: Contemptus, non privatio damnat. (3.) Extirpari nequit, manente fomite: Sed de Baptismo jam egimus Exercit. nost. Sect. 2. cap. 24. pag. 219.

§. 4. Quæst. 21. p. 283. *Peccatum mortale voluntarium illud esse dicit, quod nosmet ipsi post susceptum baptismum, maturâ etate, propriâ voluntate ac sententiâ nostrâ adducti, contra manifestum mandatum divinum, sepositâ Charitate DEI & proximi perpetramus. Jam supra monui.*

nuimus, Confessionem gratis requirere ad reatum peccati actualis, ut sit formaliter & actu secundo voluntarium, si non in cau'a proxima, ad minimum originaliter & in cau'sâ primâ; vid. *D. Schertz. l. c. thes. 22. pag. 300.* Non calculum meretur album, dum maturam requirit aetatem: nam & infantes & alii qui infra hanc subsistunt, illud committunt. Effectum hujus peccati, quod illo gratiæ divinæ, quam in Baptismo accepimus, regniq; cœlestis jacturam facimus, ex Rom. VI. v. 16. ritè designat. Hoc peccatum pœnitentiâ, DEI misericordiâ, per JESUM Christum Dominum nostrum tolli; quando Sacerdos in Confessione pœnitentem sceleribus suis solvit, dum asserit; Si non pœnitentiam satisfactoriam, sed verâ contritione & Fide constantem intelligat, recto incedit tramite. Sed hujusmodi pœnitentia ipsi ferè est incognita; nam quamquam fidei occurrat mentio, in doctrina de pœnitentia, non tamen ipsi notat fiduciam Christi merito acquiescentem; sed notitiam doctrinæ & assensum, prout ex tota Confessione patet: & in illâ pœnitentia omnia spectant meritum & satisfactionem propriam, uti dictum *Exercit. nost. Sect. 2. cap. 28. pag. 252.*

§. 5. Quæst. 22. p. 284. Peccatum voluntarium mortale Trifariam dividit. In (1.) classe ponens generaliora, de quibus alia subnascuntur. In (2.) classe, quæ in Spiritum Sanctum committuntur. In (3.) quæ frequentius vindictam divinam in hoc mundo efflagitant. §. 6.

§. 6. Quæst. 23. p. 284. *Generaliora enumerat, ut sunt: Superbia, Avaritia, Scortatio, Invidia, Helluatio, Vindictæ cupiditas, Sordida.*

§. 7. Qu. 24. p. 285. *Superbia, inquit, est inordinata & injusta gloriæ suæ ambitio, ut super alios, sibi æquales, qua jure, qua injuria, emineat. Hoc peccatum omnium primum fuisse, quod in Lucifero exoriebatur, ex quo cetera omnia promanarint, ex Prov. VIII. 13. & Sirac. X. 7. Huic contrariam Humilitatem commendat verbis Christi, Mat. XI. 29. Qu. 25. Recenset peccata quæ ex hoc peccato oriuntur: suspiciones temerariæ, Ecclesiasticorum aut secularium condemnationes, inobedientia, jactantia, hypocrisis, libido altercandi, pervicacia, dissensiones, intempestiva curiositas, arrogantia, neglectio præceptorum DEI & his similia. Remedium suggerit (1.) ex Gen. III. 19. Terra es, & in terram reverteris. (2.) ex memoria judicii extremi. (3.) Supplicii æterni. (4.) Verbis Jac. IV. v. 6. & I. Pet. V. 5. quod DEUS resistit superbis, humilibus autem gratiam impertit.*

§. 8. Quæst. 26. docet: *Avaritiam esse opum effrenatam cupiditatem, & de eâ agi Prov. XXVIII. 16. 2. Petr. II 14. Virtus opposita est Liberalitas, de quâ Psal. CXII. 9. ubi Elemosyna, certa liberalitatis species, tantum commendatur. Quæst. 27. p. 288. dicit quod ex Avaritia fluant: rapinæ, cedes, fraudes, mendacia, rebellio, vis, crudelitas, immisericordia, inhumani-*

nitās, durities animi, invidia, perfidia, injuria in pauperes aliosque, nimia tenacitas, furtum & quæ his sunt finitima. Remedium erit (1.) Memoria paupertatis Christi. Matth. VIII. 20. (2.) Consideratio quod sit œconomus, non Dominus rerum, (3.) Rationem reddendam œconomie.

§. 9. Quæst. 28. pag. 289. *Scortatio dicitur, fœda & flagitiosa carnis libido, DEI præcepto repugnans, quæ in proprium hominis corpus committitur, ex I. Cor. VI. 18. Eo magis execranda, quod membra Christi conspurcet, I. Cor. VI. 15. Scortatio cum hic inter peccata mortalia recensatur, censemus errasse omnes, vel ex sententia vulgi locutos, qui tradunt ipsis non esse mortale: vel alia Russis olim fuerit mens. Huic opposita est Temperantia. Qu. 29. p. 290. Ex Scortatione fluunt: Excacatio animi, odium rerum divinarum, impietas, invidia, desperatio, profusa luxuries, pigritia, inimicitia & similia: quam evitabit quisquis cogitaverit, DEUM tantum in casto habitare pectore. Unde Psalter orat: Psal. LI. 12. Cor mundum crea in me ô DEUS.*

§. 10. Quæst. 32. p. 292. *Helluatio describitur, quod sit nimia cibi potusque ingurgitatio, quæ præter communem consuetudinem fit, de quâ Luc. XXI 34. & Rom. XIII. 13. Ex quâ qu. 33. p. 293. proveniunt supra, socordia, pigritia in negotio pietatis, cupiditates lascivæ, joci risusque indecori, insolens sui amor, aliorum despiciatio, probra, rixæ, mores barbari, morbi capitales,*

profusa luxuria, & id genus alia. Opposita est Sobrietas & leta frugalitas, de quâ 1. Cor. XVI. 40. directè non agitur.

§. 11. Quæst. 34. p. 294. *Vindictæ studium est inflammata quedam cupiditas, quâ ad ultionem de eo qui læserat, sive læsisse videtur, sumendam, homo iratus exardescit, de quâ Jac. I. 19. Eph. IV. 31. Cui qu. 35. Natales debent: studium contentionis, invidentia, cædes, delirationes, ultiones, damna & his gemina. Opposita est Patientia, de quâ Ebr. X. 36.*

§. 12. Quæst. 36. p. 295. *Socordia est frigus & negligentia in procuranda æterna animæ salute: unde cum gemitu & stomacho fit, quicquid boni agendum, de quâ Ebr. VI. 12. & Matth. XXV. 26. 30. Qu. 31. p. 296. Huic debent originem: Dissolutio, prætextus peccandi, scandalum, vita voluptuaria, insolentia & his affinia. Huic opponit; Attentionem, ad quam Christus hortatur. Matth. XXV. 13. & 1. Pet. V. 8.*

§. 13. Qu. 38. p. 297. *Peccata in Spiritum Sanctum dicuntur esse (1.) Nimia & absurda in gratiam DEI fiducia. (2.) Desperatio, quando quis misericordie penitus diffidit. (3.) Contradictio contra manifestam ac constabilitam veritatem, & inficiatio Orthodoxæ Christianorum fidei. Hæc non habent actus omnes, in constituendo peccato in Spiritum Sanctum concurrentes, nec hoc nomine venire debebant.*

§. 14. Qu. 39. *Nimiam in gratiam DEI fiduciam, esse temerariam confidentiam, quâ spe-
rare*

re audet, DEUM gratiam suam, quamvis perseveranti in flagitiis, non oclusurum, nec poenam ab ipso repetiturum, sic justitiam DEI floccifaciens; quâ fascinosos ad Rom. II. 4. ablegat. (2.) His accenset eos quos non pudet palam dictitare: DEO ita volente, saluus ero, non volente pereo. VOX Absoluti Decreti soboles. Quos curam salutis abjicientes, in viam revocat Salvator Mat. XVIII. 14. Et DEUS Ezech. XXXIII. II. Tum Apostolus. I. Tim. II. 4. (3.) Horum numerum augere dicit illos, qui sola Fide, sine bonis operibus, vitæ æternæ hereditatem adituros se sperant. Nos haud dubiè in censum illorum reponens. Verum si (1.) docente Confessione est Hæreditas, absque operum merito erit omnino adæquanda. Si (2.) Doctore Paulo Ephes. II. 8. 9. Gratia salvamur per Fidem: non per opera, satis tutò Confessionis sententiam rejicimus, & in solâ Fide meritum Christi apprehendente, acquiescimus. Quod si autem necessitatem existentiae & præsentiæ Bonorum operum ad renovationem, tanquam fructus Fidei, nos exterminare credidit, injuriam nobis facit.

S. 15. Quæst. 40. p. 299. Desperatio est diffidentia de Misericordia DEI, inde apud peccatorem oborta, quod perperam existimat, ob facinora à se perpetrata, aut bona opera omissa, nolle DEUM veniam sibi concedere, malitiam misericordiam propemodum superare autumans. Exemplo Caini Genes. IV. 13. quam rectè immanem dicit blasphemiam. (2.) Hortatur ut quamvis gra-
vif.

vissimis sceleribus quasi onustus sit, de clementia DEI non desperet, sed filii luxu perditum exemplo se erigat; quem pater excipiens lato pectore, ostendit nos veniam fratri dare debere Matth. XIX. 22. quæ doctrina, & dictum cui superstructa, huc non spectat propriè; cum non probent quod est in quæstione; cui tamen Joël II. 12. luculentam facit fidem.

§. 16. Quæst. 41. p. 301. *Contradictionis contra veritatem indolem hanc esse dicit, quando quod rectum est, pulchrè accuratèque tenet quisquam; verum ut majore securitate peccet, dictis factisque, quanquam repugnante conscientia, pertinacissimè illud oppugnat: & de iis qui sic peccant agi Rom. I 28. Enumerat (2.) plures hujus peccati reos, (a) qui proximi bona opera traducunt, ut Pharisei Domini Jesu Christi, (b) qui gratiam à DEO concessam proximo invident. (c) qui pietatis ignaros, ex mera malitia, Religionis Christianæ capita docere negligit, additque votum, ut hanc pestem de pectoribus omnium Orthodoxorum Christus revellat. (d) qui Bona opera simulationis accusant. (e) qui Fidem Christi exuunt, ex Matth. X. 32.*

§. 17. *Verum omnes illi qu. 39. 40. 41. recensiti actus, ad constituendum horribile illud peccatum non concurrunt: nec unicus ad illud constituendum sufficit; adeoq; nec (1) nimia fiducia in misericordiam DEI; nec (2.) Desperatio propriè ejus essentiam ingrediuntur, cum hæc ejus effectum sit vel consequens. (3.)*

Quan-

Quamquam Pharifæi hujus peccati jure accu-
 sentur, facta CHRISTI blasphemè traduentes,
 non tamen omnes illi, qui proximi Bona Opera
 calumniis proscindunt, in Spiritum Sanctum
 peccant. Nec (4.) qui invident proximo do-
 na à DEO concessa. Nec (5) qui segnes sunt
 in docendis aliis, hóc peccato se perdunt.
 Nam committitur ab hominibus in veritate
 fidei illuminatis, & interno Spiritus Sancti te-
 stimonio convictis, simul & (1) negando
 (2.) blasphemando (3.) hostiliter perfequen-
 do veritatem agnitam, ejusque agnoscendæ
 media, & (4.) usque ad finem vitæ pergen-
 do, quantum in ipsis est, in hâc malitia. Cui
 speciei peccati DEUS remissionem & super-
 abundantia conversionis media denegavit:
 Unde etiam irremissibile dicitur. Notat au-
 tem *Dn. D. Schertz.* de hoc peccato, uti diffi-
 cilimè pronuciari, ità cautè seligenda esse
 dicta *Sacræ Scripturæ*, ex quibus ejus natura
 indaganda est; addens: *B. Hulsemannus Vind.*
Loc. Scr. Art. 29. Op. posth. f. 97. dicta Mat. XII.
31. 32. Ebr. VI. 4. 5. censet principalia. D. Schertz,
 subdit: jungi tamen etiam potest. *Eb. X. 26.*
27, 28, 29. Ex his cum nullum Confessio ad-
 duxerit, facile constabit eam circa hanc pec-
 cati speciem, multis aberrasse modis, & ipsius
 sententiæ non subscribendum. Patet quoque
 quid sentiendum de mente *Dn. Laurentii Petri*
Gotbi, qui *Catech. lit. A fol. 8.* dicit: *hoc pecca-*
tum esse, vel agnitam veritatem petulanter repu-
di-

diare & perseveranter oppugnare, hucusque bene; vel rejicere gratiam manifesto Scripturæ testimonio oblatam & desperare, vel opera quæ certò apparet digito DEI esse facta, tribuere magicis artibus. Cum in his duobus consentiat Confessione, ut ovum ovo non sit similius, idem de illo ferendum iudicium.

§. 18. Quæst. 42. pag. 303. *Recensentur peccata quæ divinam vindictam frequentius in hoc mundo exposcunt. (1.) Homicidium, consulto consilio commissum, Gen. IV. 10. (2.) Flagitium Sodomitarum, Gen. XVIII. 20. (3.) Pauperum, viduarum ac pupillorum vexatio. (4.) Defraudatio pactæ operarum mercedis, ex Mal. III. 5. in quibus enumerandis concordat cum notis his versiculis:*

Clamitat in cælo vox sanguinis, vox Sodomorum, Vox oppressorum, merces detenta laborum, (5.) addit: neglectionem Parentum, animumque in illos ingratum, Exod. XXI. 15.

§. 19. Quæst. 43. p. 305. *Peccatum non ad mortem, quod & aliis veniale nominatur, esse dicit illud quod homo natus evitare nemo potest; præterquam Christus & Virgo Maria: pergens ita: Non adimit illud nobis gratiam DEI, nec morti æternæ reos addicit. 1. Joh. I. 8. Notandum hic (1.) quod de Virgine Maria asseritur, esse erroneum; cum non tantum in peccato originali concepta, frustra id negante Pontificiorum parte maximâ, Franciscanorum doctrinâ seducta, licet Gregorius XV, d. 4. Jun. A.*

1622. ad Philippum Hispan. Regem scripserit: *Eternam Sapientiam nondum patefecisse hujus mysterii penetralia, an B. Virgo sine peccato originis concepta fuerit.* Vid. *Hulfem Enucl. c. 5. th. 13. pag. 280.* sed & actualis rea fuerit. (2) Supponit: *esse suâ naturâ veniale*; quod in superioribus jam erroris convicimus. Quod subjungit: *Esse innumera, nec vilipendenda, sed singulis diebus emendanda & deslenda, secundum Psalm. IV. 5. & VI. 7.* optimè se habet. Verum cum eorum veniam per Deiparæ & Sanctorum intercessionem quærendam docet, superstitioni litat, de quâ infra pluribus agendum. Hæc venialia mortali aditum patefacere, pietatem refrigerare, segnes reddere ad mandata DEI capefenda, ni penitentiâ eliminentur, veritati consonat.

§. 20. Quæst. 44. pag. 307. *Alienorum criminum consors quis fieri potest, (1.) Consilio (2.) Auxilio (3.) non redarguendo mala, ut [a] Patres spirituales conniventes, [b] Heri servos, [c] Mariti conjuges, [d] Parentes liberos, [e] Magistri discipulos vel ad impietatem ducendo, vel pro arbitrato vivendi potestatem faciendo, rationem reddituros DEO. 1. Tim. V. 22. Ne participes aliena peccata.* Quæst. 45. p. 308. *Dif- quirit, quo alio modo in societatem criminum incidamus? Declarans hæc fieri: quando quis causam peccati aliis præbet, sive scandalo, sive nutu, sive verbis indecoris, sive commendatione vitiorum, virtutumque vituperatione.* His haud

immerito adnumeratur, qui sua sponte alium ad iram concitat, aut qui vitio, pro sua virili parte non obviam it, aut ex officii sui ratione non commonefacit, aut increpat: nam horum quemlibet alieni flagitii culpam contrahere.

CAP. V.

De Decem Præceptis.

§. I.

Quæst. 46. pag. 309. De numero Præceptorum DEI asserit: *Esse Decem, quibus & alia quedam contineantur; & quæst. 47. contra eorum necessitatem hoc movet dubium: Præcepta veteris Legis dudum impleta sunt: addito tali responso. (1.) Præcepta Veteris Testamenti quæ de Ceremoniis & mysteriis erant, Christianique opera adumbrabant, ea jam omnia præterierunt; nec à Christianis præstari debent. (2.) Sed quæ ad observationem Charitatis, DEO proximoq; debitæ, præcepta pertinent; non duntaxat observanda Christianis, sed accuratius etiam perfectiusque quam Israelitis observata fuerunt: addita hæc ratione: quippe ut majoribus excellentioribusque à DEO beneficiis nos à DEO cumulati sumus, & ultra omnem comparationis modum, præ illis gratiam Spiritus Sancti, per Dominum nostrum JESUM Christum accepimus: ita pariter excedant oportet opera nostra actiones judæorum. Mat. V. 20, 22. Servanda itaque præcepta omnia que*

quæ Charitatem in DEUM & proximum spectant ; Siquidem de duobus his pendeat Lex & Prophetæ, dicente Domino Mat. XXII, 37.

§. 2. Quæst 48. p. 312. Contra numerum præceptorum, hanc objectionem format: Cum duo tantum Christus confirmârit, quomodo erunt Decem? Eamque diluit dicendo: Duo esse principaliora & generaliora, in quibus cætera fundentur. Porro Legem in duas Tabulas dissecens, priori quæ Charitatem DEI, posteriori quæ proximi injungunt, contineri, atque sic Christum per duo omnia stabilire asserit. Luc. XVI. 17. De divisione Decalogi tam quoad Tabulas, quam quoad præcepta, non una eademque est omnium sententia. Hebræi quinas leges singulis Tabulis inscriptas fuisse contendunt. Joseph. l. 3. Ant. cap. 4. quos ex Christianis sequuntur Irenæus l. 2. c. 42. Chrysostr. in cap. 25. Matth. At rectius cæteri Patres ad priorem Tabulâ referunt istas leges, quæ dilectionem DEI, & posteriorem quæ dilectionem proximi commendant. Quam distinctionem CHRISTUS ipse approbat. Matth. XXII. 37, 38, & 39. Origenes itaq; in c. Ex. 20. quatuor eo refert, secundum constituens: Non facies tibi sculptile. Cui accedit Ambrosius in c. 6. ad Ephes. Nazianzenus, Hieronymus in idem cap. alibi tamen aliter sentiens. Hos sequitur Ecclesia Græca & Moscovitica, tum quoque à Calvino malè reformata, & Ecclesie illa quæ olim Calvinismo infectæ, postea Augustanam amplexæ Confessionem, in re adiaphorâ retinentes,

id, cui jam juvenus affueverat. Sed *Augustinus l. 2. quest. in Exod. Tria tantum refert ad priorem*; cujus sententiam amplectuntur *Augustanae Confessionis Theologi, & Pontificii quoque*. Neque in enumerandis præceptis conveniunt. *Græci, Moscovitæ, Calviniani secundum dicunt esse: Non facies tibi sculptile, teste Confessione. Pontificiis secundum est: Non assumes nomen Domini in vanum*; ita & nobis. Illi contrahunt ea quæ agunt de concupiscentia; nos cum Pontificiis separamus: nec de ordine decem ultimorum convenit. *Augustino Pontificii assentiuntur, Nonum constituendo: Non concupisces uxorem proximi tui. Vid. Cateches. Vulgari Græca pag. 343. & Armena scriptam p. 169. Eundem ordinem servat Laur. Petri Gothi Cateches. lit. c. f. 2. quem ordinem Moses Deut. V. 2. servavit. At Catechesis Tridentina p 451. quemadmodum Lutherus & nos ipsius insistentes vestigiis, Nonum facimus: Non concupisces domum proximi tui. Ex. XX. 17. secuti. Decimum licet Lutherus in Majori non separaverit; Nec Cateches. Trident. cum utrumque de Concupiscentia agat, de quâ in explicatione & in genere & in specie erat agendum promiscue: In minori tamen Catechesi Lutherus separavit eadem; ut absque distinctione non fuerit asserendum, Lutherum non distinxisse, reliquos Theologos ea separasse, uti fecit Dn. D. Terserus Dissert. de divisione Decalogi §. 8. Nam & ille disertè nonum in illis verbis: non concupisces domum pro-*

ximi tui constituit. Vid. Lib. Concordiæ pag. 368.
 Argumenta, quibus unusquisq; suã nititur tue-
 ri sententiam, adduxit & eruditè expendit *Dn.*
D. Terferus Upsaliensis Theologus, postea Episcopus
Lincopensis, in Dissert. de divisione Decalogi le-
ctu dignissimã, habitã Anno 1659. cujus S.
20. ex Gerharδο docet divisionem esse ad di-
φορόν τι. & contra charitatem peccare qui in-
tempestivã ejus propugnatione Ecclesias tur-
bant. Impressa est ad calcem notarum in Exo-
dum.

S. 3. Quæst. 49. p. 313. *Primum primæ*
Tabulæ præceptum, ex Exod. XX. 2. Sic alle-
gat: Ego sum Dominus DEUS tuus, qui te eduxi
è terra Ægypti, è domo servitutis. Non erunt tibi
Dii alii præter me. & quæst. 50. sic intelligen-
dum dicit: (1.) Injungi DEUM agnoscendum &
laudandum. (2.) Cur non de creatione sed educatione
ex Ægypto, sermo fiat explicat, convenientius fuisse
Judæis exordium sumi à re novã & admirabili.
(3.) Alibi DEUM creationis in simili casu, memi-
nisse. Es. XLV, 12. & 5. (4.) exactiorem Chri-
stianorum observantiam, quia ipsis libertas illu-
strior, inculcat, ex Colos. I. v. 13. haud felici
successu. Nam & id beneficii, de quo Apo-
stolo sermo, Judæis exhibitum. In parte se-
cunda hujus præcepti (1.) interdici cultum ali-
us DEI. (2.) indici cultum ex corde profectum,
quem inde arcessit, quod mens DEUM rectè co-
gnoscat. Qu. 51 p. 315. Contra illud lethaliter pec-
care, (1.) qui nullam Numinis habent notitiam.

Pfal. LIII 1. (2.) qui plures DEOS venerantur.
 (3.) qui se Diabolo mancipant, ut Magi, qui amuleta gestant & characteres. (4.) Superstitioni dediti egroti, qui amicularum carmina adhibent.
 (5.) qui auguria & omina ex rebus capiunt. (6.) qui non rectâ fide DEUM unum in Trinitate personarum credunt. (7.) qui plus propriâ prudentiâ & amicorum, quam gratia DEI nituntur. (8.) Qui semetipsos plus quam DEUM adamant. Nota
 (1.) quod de amuletis asserit, de omnibus in univrsam affirmari nequit. Nam sunt & naturalia, suâ operatione & vi medendi morbis instructa. (2.) Exordium Decalogi: *Ego Dominus DEUS tuus*, quod Hebræi primum suum præceptum statuunt, retinet Confessio & eo loco posuit, quo Moses. At Lutherus idem retinuit, licet alio loco, in responsione ad quæst: *Quid dicit DEUS de his præceptis: Ego Dominus DEUS tuus, Zelotes &c.* ut itaque nec mancus nec mutilus sit Decalogus Lutheri; licet illi, qui eum ut talem intuebantur, alio ordine idem, nempe in principio Decalogi collocarint. Sed plura qui de hoc argumentum cupit, adeat *Dn. D. Paulini Thesaurum Catecheticum Theoretico practicum & part. prim. Dn. D. Terseri Diss. de Div. Decal. §. 22. seq.* Sed potissimum *D. Lutheri Catecheses in Libro Concordiæ. Min. p. 368. Major. p. 411.* ubi dicit: *quanquam hæc verba communiter ad omnia præcepta referenda sunt, (ergo uni non attexuit) ea tamen huic præcepto, quod aliorum omnium ca-*
pit

put est, peculiariter adjecta sunt &c. & pag. 483. Hæc appendix quanquam (ut supra audivimus) sub initium primo præcepto annexa est : omnium tamen præceptorum gratia positum esse, negare non possumus, ut quæ conjunctim omnia hæc referenda & dirigenda sint. Quare dixi hæc quoque juventuti proponenda, & identidem occinenda esse, ut discat & tenaciter retineat, quo certum nobis fiat, quare ad hujusmodi præceptorum observationem & adigendi & impellendi essemus. Neque aliter hæc verba intuenda sunt, quam si ad unumquodque singillatim adjecta sint &c. Ergo non minus D. LUTHERUS, quam D. Paulinus & D. Terferus, hæc verba ad integritatem Decalogi spectare docuit & urfit.

S. 4. Quæst. 52. pag. 317. Quid de invocatione Sanctorum sentiendum sit explicat. (1) dicit : Sanctorum intercessionem imploramus, ut causam nostram apud DEUM tueantur. (2.) Non ut DEOS, sed ut amicos DEI colimus. (3.) Sunt nobis necessaria ipsorum auxilia; non è propriis ipsorum viribus, sed à DEO interventu ipsorum profecta. (5.) quippe similiter à viventibus intercessionem desiderare docemus, rexemplo Pauli Rom. XV. 30. 2. Cor. I. 11. qui & ipse pro aliis orabat. Phil. I. 4. Et ex Act. XII. 5. non tantum privatim, sed & publicè pro se orasse liquere. Unde (5.) infert; Sanctos magis id præstare, cum nullâ re impediuntur. (6.) Si ultionem postulant, Apoc. VI. 10. multò magis pro fratribus intercedent. Ap. XI. 16. 18. (7.) Occurrit dein objecti-

oni huic: *Sancti non cognoscunt preces nostras,*
 tali responso: *quanquam non à semetipsis, ta-*
men per patefactionem divinam, exemplo Eliæ,
 2. Reg. V. 26. (8.) *subjicit: porro & Angelos*
obtestamur ut patrociniis suis nobis adsint apud
DEUM: atqui à morte sancti sunt instar Angelo-
rum. (9.) Tantum abesse ut hic cultus offendat,
ut potius si omittatur, in Divinam Majestatem
peccetur à nobis, qui non honoramus servos DEI.

§. 5. Ad pleniorè explicationem sub-
 dit: *Duo rectè cognoscenda: (1.) quod bonos san-*
ctis tribuendus per transitionem ad DEUM refera-
tur; idq; conatur probare ex Ps. CXXXIX. 17.
(2.) per eos gratiam DEI obtineri exemplo amico-
rum Jobi, quibus ipse DEUS injunxit, ut eum ad-
ducerent, qui pro ipsis sacrificaret, ut ejus causa
ipsis delictum condonaret, cap. XLII. 8. (3.)
quod hoc præceptum rem ullam creatam adoratio-
ne eâ, quam Latrîam vocamus, adorari vetet.
Sed nos subjiciens, non sanctos sanctissimo hóc hono-
re colimus, sed modestè invocamus &c. Hic Con-
fessio eandem cum Pontificiis amplectens do-
ctrinam, iisdem utitur argumentis; sed nul-
lo tibicine fultis, ut facilè subruantur. Nam
(1.) non opus est ut Sancti nostri curam ge-
rant, cum DEO simus curæ. (2.) Honorem
& nos exhibemus eis, sed non invocationis,
qui soli DEO competit. Mat. IV. 10. (3.) Non
opus est interventu ipsorum, cum sponte
sua DEUS nobis & promittat & mittat auxi-
lia. (4.) Viventium intercessio nititur man-
 da-

dato divino, & sanctorum exemplo; quod de defunctis dici non potest. (5.) *Sanctos in Ecclesia triumphante pro Christianis in Ecclesia militante intercedere*, negare non volumus, cum Scriptura id dicat: sed quod pro hoc vel illo in specie, unus vel alter è Sanctis oret, nullo Spiritus Sancti testimonio evictum: contrarium elucet, ex Es LXIII. v. 16. (6.) Concedimus totum, sc. *pro fratribus in universum omnibus*. (7.) Objectioni non satisfecit dicendo: *per patefactionem id fieri*. Hoc enim erat probandum firmiore argumento, quam exemplo Elisæi; cum talis patefactio respectu sanctorum in cælo, sit in quæstione & à nobis negerur, tacente Scripturâ nihil ejusmodi comminiscendum statuentes. Quid quod talis patefactio à Propheta Es. LXIII. 16, dicente: *Abraham non novit nos*, explosa. Si enim illa locum haberet, utique quæ nostra sit conditio, quoad individua novisset. (8.) Invocatio Angelorum æquè prohibita ac Sanctorum. (9.) Cultus à DEO prohibitus, non potest non offendere DEUM. Apoc. XIX. v. 10. Non nesufficit, nos *honorare servos DEI, eorum pietatem extollendo, imitando*; nisi accedat *invocatio idololatrica?*

§. 6. Quæ plenioris explicationis gratiâ affert, convincunt ipsos *Confessores* fuisse satis sollicitos, ut idololatrias horrendum crimen à se amoliantur, dicendo 1.) *hunc honorem transire ad DEUM*. Sed quæ ex Psalm. CXXXIX. 17. afferunt, nihil minus probant,

quam id de quo controvertitur. Nam (1.) LXX. Interpp & hanc secuta *Moscovitica* & *Vulgata* translatio, locum perperam reddidēre: cum *Anglus*, *Batavus*, *Tremell.* & qui primo loco nominandus *Divus Lutherus*, cui consentit *Suetica* & *Danica*, reddentes hoc modo: *quamobrem apud me, quam pretiosae sunt cogitationes tuae, ô DEUS fortis, quam numerosae sunt summae earum, ut Tremellii verbis utar, sequantur fontem Hebræum.* Quod autem hodierna *LXX. Interp. versio* sæpissimè in *Psalms* hallucinata, plus quam in aliis libris, observarunt *Dn. D. Gerb. Disp. Isag. III, §. 6. p. 85. Calov. Crit. Sac. Diat. 10. p. 579.* Sed (2.) si vel maxime standum versionibus *LXX. & Moscov.* sic legentibus: *Mibi vero valdè honorati sunt amici tui; nihil inde sequeretur aliud, quam honorandos esse amicos DEI, & Sanctos*, quod nos negavimus nunquã. (3.) *Job* vivus intercedebat pro vivis, *DEO* mandante: quid hoc ad mortuos? (3.) *Distinctio* illa cultus *Latriæ*, & asseveratio quod hęc Sanctos non colant, non juvat malam ipsorum causam, cum sit figmentum cerebri humani. Est & notatu dignum, quod *Dulia*, quo nomine Sanctorum invocationem insigniunt, *DEO* sæpius quam *Latria*, in *Nov. Testamento* tribuatur. Illa enim *XXXIX.* hæc autem *XXX.* tantum vicibus de *DEO* usurpata legitur. *Conf. Dn. Schertz. Hulfem. Enucl. c. 12. th. 16. p. 717. & Siric. c. 5. p. 45. de Rel. Moscov.*

§. 7. Quæst. 53. pag. 314. Exhibet se-
cun-

cundum Præceptum, Exod. XX. 4. Non facies simulacrum, nec rei ullius imaginem, sive quæ supra in cælo sunt, sive quæ infra in terra, sive quæ in aquis sub terra. Non adorabis eas, nec coles eas. Quæst. 45. p. 324. Docet quomodo intelligendum, & quidem (1.) separatum esse à primo, cum de externis Sacris & ceremoniis tractet, jubeatque nullum simulacrum sculptile falsis Diis dedicandum, nec idola veneranda, nec sacrificia divino culto illis facienda. Contra hoc præceptum delinquere (1.) eos de quibus agitur Ps. CXXXV. v. 15. (2.) qui Avaritiæ dediti. Col. III. 5. (3.) Gurgites & belluones Phil. III. 19. (4.) qui incantationibus & præstigiis utuntur. (5.) Qui Fortune & Fato fidem indubiam tribuunt. (6.) Qui Auguria & omina observant, (7.) qui ex lineamentis manuum, (8.) ex Umbris Manibusque orco evocatis, ex pelvibus, aliisque hujusmodi hariolantur, (9.) qui homines natos in oviculas, aliasque bruteis animanteis suis veneficiis immutant, (10.) qui Amuleta malis averruncandis gestant, (11.) qui pittacia schedulasque circumsecus sibi circumdant, aut gestant, eisque fidunt, (12.) sive etiam oraculis ac vaticinationibus, aut characteribus iis inscriptis: in quæ pittacia intuentibus, aut preculas quasdam super ea mussitantibus persuasissimum est, nihil sibi tantisper dum ea præstò sunt, à flammis aquisque, aut ferro ac telo noceri posse, (13.) qui ligaturas nodosque & cætera nefaria remedia (ab ipsa medendi arte damnata) usurpant, sive eadem in carminibus magicis sita sint; sive in characteribus, sive rebus

aliis, quas suspendunt, nexant, solvunt, uti sunt in aures in auriculis, aut annuli in digitis, aut alia his similia. Horum peccatorum plurima contra primum præceptum committi, nulli debet esse dubium; ut necessarium non sit hoc secundo loco ponere, cum sit primi tantum explicatio. Omnes namque Dii alieni eo prohibentur: *At imagines sunt Dii alieni, Gen. XXXI. 30. Deut. XXVII. 36. &c Ergò gratis cum Calvinianis statuunt esse diversum. Quibus adstipulatur Dn. Laur. Pet. Gotbus, qui in Catech. lit. C. f. 3. secundum omissum vanus queritur.*

§. 8. Pleraque modo recensita, contra secundum apud nos, pugnant, ut quæ 4. loco dicuntur *de incantationibus, 8. de Umbris evocatis, 9. de transformatione hominum imaginariâ*, quæ fiunt adhibito nomine DEI, cujus abusus nostro secundo prohibetur. Hanc *transformationem verè fieri, credere videntur Confessores*: quæ tamen soli DEO adscribenda: cum *Magi tantum glaucomatis fascinatione, vel celeri substitutione, vel forti imaginatione, homines decipiant & fascinent*. Conf. Dn. D. Terseri notas eruditiss. in Exod. VII. II. & D. Torselii Dissert. de Magia sub præf. Nobiliss. Dn. Claudii Arrhenii cap. 4. §. 2. in qua sana de Magia asseritur doctrina, quam Dn. Thomafius in sua Disp. de Magia, mirum in modum pervertit, & Celeberrimo summèque Reverendo Gedanensium Theologo Dn. D. Schelguigio

Fau-

Fautori colendo, dedit anſam conquerendi, eam tot & tam veſanis hypotheſibus eſſe reſertam, ut vix oculis ſuis crediderit, ſub Magiſtratu Chriſtiano, in Academia Chriſtiana (*Hallenſi*) ab homine, quem ipſum Chriſtiani, quod in Baptiſmo ſuſceperat, nomen Chriſtiani officii admonere debebat, monſtra talia, non Pontificiis magis, quam Evangelicis & Reformatis exoſa, ex orco erumpere potuiſſe. Vid. ingreſſum ad *Wigandiana ipſius*: & licet *Dn. Schelguigius* loc. cit. gratias DEO egerit quod chartæ à *Rege Boruſſiæ & El. Brandeb.* tenebris adjudicatæ & prohibitæ fuerint; earundem non tantum patrocinium ſuſcepit, ſed & in linguam germanicam transferri curavit *Ἰαυμάσιος* ille Thomafius, cujus ſcripta non niſi cum judicio legenda, & plurima vitanda, in orthodoxos Theologos pleroſque, vivos & mortuos, ſummè injuria, quæ inter eminet quod de *Jure Principum circa contro. Theolog.* edidit, ad palpum Calvinianis potiffimum obtrudendum. Sed DEO vindici hæc committenda. Ceterum imaginationem in *Lycanthropiâ* à morbo, copiæ atræbilis originem debente, proficiſci, veriffimum credimus: ſemper tamen in tali caſu negotioſum eſſe Dæmonem non inſiciamur. *Nabuchodonoforis fata* ſi quis objiciat, meminerit *feram factum, non corporis mutatione, ſed animi corruptione.* Lycanthropiam eſſe ex hoc morborum genere, optimè ſtatuit & hoc argu-

men.

mentum explicat *Hofm. Lex. Cont. part. I. pag. 1059.* cui consentit *Nobiliss. Dn. D. Hierne Archiepat. Reg. Fautor honoratiss.* Quod (10.) de *Amuletis* affert, ad nostrū 2. præceptum referas, cum varii sint generis, & si naturalia excipias, nomine DEI, vel locis Scripturæ insignita; Sic & reliqua quæ numeris 11. 12. 13. adducuntur omnia, sunt talia quæ in nostrum 2. impingunt, & à *Paganis ad Christianos* transiêre: licet ab ipsis *Ethnicis Imperatoribus*, quorum *Antoninus Caracalla, curiosarum artium ipse studiosissimus*, vel primus vel inter primos fuit, *Dione* teste, fuerint damnata. Horum remedium studium diutissimè habuisse in animis veterum Christianorum, testatur *Hofm. Lex. II. Cont. part. 2. pag. 461.* quos graviter monuit *Chrysostomus*, satius esse obire morbo, quam sic sanitatem recuperare, qui & hujus vanitatis contemptum, martyrio aliquatenus comparavit, ut vel sic hominibus eundem inspiret.

§. 9. Quæst. 55. pag. 317. De Imaginibus dictura Confessio, in ipsâ quæstione asserit; *Orthodoxam Ecclesiam colere & adorare imagines.* In Responsione (1.) ingens inter Imagines & Simulacra statuit discrimen. *Idola seu Simulacra esse figmenta* 1. Cor. VIII. 4. docet; *Imaginem representamen exhibens rem veram, velut Imago Salvatoris &c.* (2.) Differentiam inter Idolatriam Gentilium & suum cultum exhibet. *Gentiles*, inquit, *aurum verum Numen esse existimabant; nos non adoramus illitos tabulis*

colores, aut ligna ipsa, sed Sanctos quos representant. (3.) Adorationis genus indicat, *Duliam* nominans. (4.) explicat objectum adorationis exemplo: dum Crucifixum adoramus, Christum in conspectu ponimus: Cum Virginis veneramur imaginem, ad Deiparam ascendimus. Inde concludit hoc cultu nihil præcepto derogari, potissimum cum non sit eadem adorationis species. (5.) Firmat sententiam exemplo Israelitarum, qui Cherubim licitè adorabant. (6.) Honorem quem Tabernaculo seu Arca fœderis exhibebant, 2. Sam. VI. 13. idem evincere; existimans DEUM ipsum illo exceptum. (7.) Cautionem addit: cuique Imagini addendam inscriptionem nominis, ut eo facilius intentioni animoque adorantis satisfieri possit. (8.) Provocat ad VII. Synodum Oecumenicam, hunc cultum stabilientem, Iconomachos anathemate percellentem Can. IX.

§. 10. Hic Pontificiorum inhærens sententiæ, eorundem arat vitulâ in eâ tutandâ. Verum rationibus planè ficulneis rem suam stabiliunt, ad quæ responsio est facilima. Nam (1.) Differentia inter *Imaginem* & *Simulacrum*, quatenus adorantur, nulla est, utut id asserat cum Bellarm. l. 2. de Imag. SS. cap. 5. (2.) Licet differat *idololatria crassa Gentilium* ab hâc *subtiliori Christianorum*: Est tamen imaginum in cultum erectio idololatriæ species, primo præcepto interdicta. (3.) Distinctio inter *Latriam* & *Duliam* nugatoria est, & sæpius hæc DEO in Nov. Test. tribuitur, ut

supra monuimus. (4.) Cultus in *transitivum* & *terminativum* distinctio, est cifra, iudice *Dn. D. Schertz*. Est enim *αγαφος* & *αντιγαφος*; cum omnis religiosus cultus, alii quam DEO exhibitus, sit damnatus. Atqui *transitivus* est religiosus. E. (5.) Nec Arca nec Cherubim adorabantur, sed DEUS qui præsentiam suam ad Arcam Ex. XXV. 22. adstrinxerat. (6.) Multum intercedit differentia inter *honorem seu reverentiam*, & *cultum religiosum*. Si Israelitas Arcam in honore & pretio habuisse dixeris; quæ inde ad cultum religiosum consequentia, cujus in loco adducto mentio nulla; & si esset ipsi DEO præfenti exhibitus fuisset. (7.) Cautioni nullus erit locus, si cultus imaginum aboleatur. Eam semper apud *Græcos & Moscovitas* servari vix crediderim. Sed servetur; quid inde emolumenti ad illum qui literas nescit? quemadmodum maxima Russorum pars. His ne facile est aberrare, in divinandâ hujus vel illius sancti imagine. Quid si alio atque alio schemate idem Sanctus pingatur? quod apud ipsos æquè ac Pontificios fieri credibile.

§. II. Notum est quippe quid hic Pictoribus atque Poëtis liceat. Sanè deprehensum est apud *Pontificios*, eandem statuam multos repræsentasse Sanctos. *Paulum* ubi cum *gladio* apparuit: Si ablato gladio, *claves* substitueris, *Petrum*; si his remotis *cruce* reposueris, *Andream*; & sic de cæteris. Quo-
mo-

modo hæc variatio intentioni adoraturi satisfaciat, ipsi viderint. (8.) Dum autem provocat ad *Synodum Oecumenicam VII.* procul dubio intelligit *Concilium Nicenum II.* ab *Irene Imperatrice*, instigante *Papâ Adriano* celebratum, quod universale fuit appellatum, & circa *An. Chr. 788.* damnavit *εικονοκλάσας*. Sed huic summo jure opponimus *Constantinopolitanum*, à *Constantino Copronymo*, etiam vulgo VII. universale dictum, jam *An Chr. 755.* coactum, in quo *εικονολάτραι* damnati, & omnis imaginum usus in Templis prohibitus. Quod posterius uti non probamus; ita non unâ ratione fulti, hoc *Concilium* illi præferimus. Videmus enim hoc *niti Scripturis*: illud Pseudonicænum *rationibus partim violentis & contortis, partim ridiculis & frivolis*, adeo ut *Pontificios* homine earum pudeat. Quid quod illi ipsi *Concilio* nonnulli *Patres* interfuerint, fatentes *Idololatriam Gentilium* hoc cultu confirmari: *Turcas autem à recipiendis Christianorum Sacris arceri & absterreri.* Nec in *Constantinopolitano* tantum sententia nostra stabilita: verum etiam in *Syn. Francofurtanâ* sub *CAROLO M. An. Chr. 794.* convocata, quæ collatis priorum *Conciliorum Canonibus*, mediam elegit sententiam, in *Templis & privatis locis ornatus & memoriae causâ* eas ferendas: *cultu autem indignas judicandas; cum & à Fide Christianâ alienum, & Gentilium superstitioni congruum.* Quæ moderatio cum *Romano Pontifici* minus arrideret, in *Con-*
cili-

ciliabulo Tridentino Nicenæ II. Syn. acta calculo candido judicavit dignissima, idque invitâ Sacrâ Paginâ. Vid. prolixius hæc exsequentes Dn. D. Quenst. p. 4. Theolog. Did. Pol. cap. 11. Quæst. 6. pag. 371. seq. Dn. Schertz. Hulf. Enucl. c. 12. th. 16. p. 717. & authores ab his magno numero adductos.

§. 12. Hic omnino locum habebit, quod *Confessio supra quæst. 51. pag. 317. optimè statuit dicendo: Brevi complectar. Contra hoc præceptum sc. primum, peccat, quisquis præter DEam verum aliud quidpiam, quocunque tandem modo, pro Numine suo adtollit; in illoque spem & fiduciam omnem reponit.* Hoc enim faciunt cultores imaginum, illas pro Numine quodam suo extollentes; & quanquam non omnem, magnam tamen in illis fiduciam reponentes. Tandem hinc inferimus, quod si aliud quidpiam pro Numine colentes, peccant contra præceptum primum, *Confessione* confitente; supervacuum erit illud quod secundum est ipsis, divellere à primo: cum omne quod violet secundum, etiam primum feriat, non dissentiente *Confessione*.

§. 13. Quæst. 56. Nostræ objectioni occursura *Confessio*, (1.) quærit: *Cur qui serpentem aneum confregit, 2. Reg. XVIII. 4. quem Moses sublimem dedicaverat, laudem adeptus? & (2.) se expedire tentat hâc responsione, quam integram subjiciemus. Quoniam, inquit, Judæi deficere ceperunt ab adoratione veri DEI, ad-*
oran-

orantes serpentem pro vero DEO, illique thura & odores cremantes, teste Scripturâ; Chiskias malum, ne latius serperet, excisurus, serpentem confregit; ne quam amplius idololatriæ causam Israelitis daret. Cui antequam divinus Latriæ honos haberetur, nec Israelitas quisquam damnabat; nec serpentem fregit ac comminuit. At Christiani imagines haudquaquam pro Diis colunt, nec earum cultu à Latriâ DEO debita abscedunt, imò vero potius ope imaginum, quasi manu ducuntur ad DEUM, dum sub expressis Sanctorum imaginibus, Sanctos cultu Dulie, ut DEI familiares honorant, ab iisque contendunt, ut DEUM sibi propitium reddant. Quod si fortasse quisquam ex simplicitate suâ, paulò aliter, quam hætenus expositum est imagines veneretur; melius quidem certè fuerit, ut rectius ille in hoc negotio edoceatur, quam ut venerandarum imaginum adoratio ex Ecclesiâ proscribatur. Quid adhæc reponendum, ex iis quæ ad quæst. præcedentem & 52. diximus satis est perspicuum: falsâ nititur ubique hypothesis.

§. 14. Hic tamen addendum: (1.) gratis dici, quod serpentem pro vero DEO adoraverint, neque enim tam stupidi fuere, quemadmodum nec Moscholatriæ, de quibus Exod. XXXII. nec Micheas Jud. XVII. nec Gideon, Jud. VIII. 27. nec Israelita, Jud. II. 13. 1. Reg. XII. 27. &c. qui omnes prætendebant se in honorem DEI imagines colere & in imaginibus DEO honorem istum deferre. (2.) Quo

ginibus opus non fit ut ad DEUM manuducamur ; *Trium primorum post Christum seculorum experientia*, satis superque comprobatur. Nam non legimus tum in Oratoriis Christianorum, fuisse ullam imaginem nec sculptam, nec textam, nec pictam ; quod ideo factum, ne conversi ex Gentibus occasionem lapsus haberent ; Sed sine imaginum cultu discerent adorare DEUM in Spiritu & veritate. Quod si intra usum historicum substitisset, nos à partibus suis habuisset. (3.) Quoniam proscribendus omnis cultus imaginum ex Ecclesia, de eo simpliciores ad salutem erudiri nec possunt, nec debent. (4.) Cum minima pars Laicorum in Moscovia, literas primis labris gustarit, & plerique ne quidem lecturam calleant, adeoque vix dignoscant cujus Sancti imaginem colant, omnes iili ex sententia confessionis idololatrias crimine teneri videntur. (5.) Imagines à rudi plebecula pro Diis coli, & nobis & aliis fit verisimile quam quod maximè. De DEO vero quam jejuna sit eorum cognitio, lacrimis deplorari satis nequit. Quod de cultu rudis plebeculae attulimus, lucem lucrabitur ex his notabilibus *Illustr. Dn. Baronis de Meyersb. itinerarii in Moscov. pag 27. Simulacra omnia, praterquam in Ecclesiae altari, Moscovitae respiciunt.* (Non ergo omnes sculptas imagines averfantur, uti quibusdam creditum est.) *Græco vel Russico penicillo* (non ergo aliarum actionum) *delineate Divorum iconibus tabu-*

bula, postquam eas pro auro, vel argento permutatas, (emere non licet) suas fecerint, & aqua asperserint lustrali, in tanta apud eos sunt veneratione, ut addubitare liceat, quoniam eas cultu prosequantur. Hæc & plura de imaginibus ex hoc scriptore, in nostris oris rarissimo, dedimus Exercit. nost. p. 1. Sect. 1. c. 20. p. 126. §. 3. seq. addimus hic tantum ex eodem: quod hospites imagines, ne profanentur, è cubiculo peregrinorum ablatas in interiori abdant, quod & dictus Dn. de Mayersb. expertus est.

§. 15. Quæst. 57. p. 332. Tertii præcepti hunc tenorem Exod. XX. 7. esse dicit: *Non assumes Nomen Domini DEI tui in vanum; non enim pro insonte illum absolvet Dominus, qui nomen ipsius in vanum adsumserit. Quæst. 58. doceri (1.) nomen DEI honorandum, nec in re levicula aut iniqua proferendum. (2.) Nec ut mendacio fides adstruatur, & perjurii reus quis fiat. (3.) Nec ansa nec consilium perjurio danda. (4.) Votum sanctè reddendum, Deut. XXIII. v. 22. Contra hoc præceptum peccare qui à fide se abduci sinunt propter commoda aut pericula. Pauli hujus defectionis periculo eximendi letitiam, ex 2. Tim. IV. 7. Certamen pulcrum decertavi, curriculum absolvi, fidem servavi; indicat.*

§. 16. Quæst. 59. pag. 334. Quartum ex Exod. XX. 8. sic tradit: *Memento diei Sabbathi ut illum sanctifices. Sex diebus operaberis & facies omnia opera tua, die vero septimo Sabbathum est Domino DEO tuo, non facies eo die ullum opus tuum*

Et filius tuus, Et filia tua, servus tuus, Et ancilla tua, bos tuus, Et jumentum tuum Et quæ sequuntur. Illud Qu. 60. dicit sic intelligendum: DEUM è septenis unum constituisse diem, ut homines beneficiorum DEI memores, gratias illi agant Et Majestatem ejus concelebrent. Subdit: DEUM cum in septimo die ab operibus suis requievisset, eundem sanctum esse jussisse, ut recordentur beneficii creationis. Sic Festum Paschatos, in memoriam liberationis ex Ægypto, ordinasse, Exod. XII. Et alia Festa. Proinde totum hunc diem ab operibus laboribusque nostris omnibus feriati esse debemus, ut hoc interim spatium orationi sacrisque meditationibus, vacuo animo, ob præstita nobis beneficia, operam studiumque impendamus: Itaque famuli servique cujusquemodi, nihil eo die operis facient, verum quiete otioseque rebus sacris, precibusque incumbent, DEUMque collaudabunt.

(2.) Præterea ex hoc præcepto, etiam ceteri dies omnes quos sacros haberi Ecclesia jusserat, observandi nobis sunt; Cujusmodi sunt feria panegyricæ, Nativitatis Christi, Circumcisionis, Epiphaniarum, Occursus (Purificationis Beat. Virginis,) Resurrectionis, Ascensionis, Et reliquæ. Pariter Et dies festi semper Virginis Mariæ, Apostolorum, Martyrum aliorumque Sanctorum. Ceterum quo ritu celebrari conveniat diem Dominicum, id sexta Synodus oecumenica uno Et nonagesimo canone docuit. Causam translatis in diem Dominicum Sabbathi reddit (1.) quod Christus Sabbathi Dominus est. Match. XII. 8. quod si
igi-

igitur Christus Sabbathi Dominus, utique cum ratione traductum fuit in diem Dominicum. Tum (2) ne quâ subjectione cuiquâ obstrictus teneri Servator videatur. (3) Tum quod eo ipso, non autem alio die, à mortuis resurrexit. (4.) Eoque mundi instauratione renovatioq̄, secundum salutem æternam, facta est. De tempore festa celebrandi, ut & de sanctificatione Sabbathi egimus prolixius, Exerc. nost. part. I. Sect. I. p. 138. seq.

§. 17. Quæst. 61. Quintum præceptum ex Exod. XX. 12. dat: *Honora patrem tuum & matrem tuam, ut bene tibi sit, & ut longævus fias super terram illam bonam, quam Dominus DEUS tuus dat tibi.* Hæc ultima verba, cum tantum respiciant Israelitas, jure à *Luthero* exclusa. Quæst. 62. ita sensum ejus revelat: (1.) *Parentes honorare jubet & revereri; addita ratione: cum & genitores & educatores fuerint, idem naturalem rationem suadere, si nullum de eo exstaret mandatum. Summè iis devinctos esse liberos, nec vicem illis reddere eos posse. Benè addit: majorem illis debere amorem quam aliis.* (2.) *sub vocabulis patris matrisque omnes illos comprehendendi, à quibus aliqua adepti sumus beneficia, uti sunt Patres spirituales, Magistri, Heri, Præcones, Reges, Magistratus, & qui his similes ex Rom. XIII. 1,7. qui parentibus imparentes sunt, insipientes adpellari. Rom. I. 31. hic errat. Plus tamen DEO quam parentibus obediendum Matth. X. 37.* (3.) *Cum dicit, quod de omnibus superioribus id quoq̄ accipiendum, non ei assentimur, nisi in certis*

casibus. (4.) Docet quod observantia & dilectio superioribus debita, elucere debent in benevolentia & subiectione, in verbis honorem præferentibus, aliisque id genus.

§. 18. Quæst. 63, p. 341. Sextum præceptum est: *Non occides*, quod Quæst. 64. sic dilucidat: *pio homini homicidium non perpetrandum, non tantum quâ corpus, sed etiam quâ animam. Et hereticos & qui flagitiose vitæ exemplum præbent, esse capitaliores homicidas, ex Matth. XVIII. 6. Sed hujus homicidii nulla in hoc præcepto ferendo, à legislatore habita est ratio. Ast quæ sequuntur, huc spectant & cedro digna: (1.) Cædem perpetrari non solum opere ipso, sed & suasu, auxilio, instigatione, consensu, (2.) omnes quoque affectus, qui cædis causa esse queunt, eo vetitos. Dum autem superbiam, invidiam, odium, avaritiam affectibus annumerat promiscuè, vitia & vitiorum fontes confudisse censenda est.*

§. 19. Quæst. 65. Septimum præceptum exhibet: *Non mœchaberis*; & qu. 66. hanc ei inesse sententiam existimat. (1.) *Asserit Dominum jussisse hoc præceptum perfectius à nobis custodiri. Atqui de omnibus id jam dixerat supra qu. 47. p. 309. Neque locus Mat. V. 28. præcepto majorem addit perfectionem; cum & adulteria cordis in V. T. æquè fuerint prohibita, Prov. XXIII. 32. Sir IX. 8. (2.) Duplex Adulterium statuit: aliud spirituale aliud corporale. (3.) Spirituale describit per lapsum in*

hæresin Psal. LXXIII. 27. (4.) *corporeum, per actionem impudicam cum uxore alius viri perpetrata.* (5.) *Etiam quamvis scortationem & lasciviam damnari.* (6.) *Lenocinia, cantilenas, choreas indecoras & lusus turpiculos proscribi, ex Eph. V. 3. Benè, si excipias, quæ de Spirituali adulterio affert; hæc enim alius sunt caveæ.*

§. 20. *Qu. 67. Octavum præceptum ipsi est: Non furaberis, & qu. 68. Ejus hanc dat explicationem: [1.] Non esse rem ullam alienam injusto modo occupandam, quod [2.] sit tum raptu, [3.] tum furto, [4.] tum violenta detentione juris alieni. Quod addit: His accensendum, quando quis honorem famamque alteri eripit, ad sequens præceptum referendum. (5.) quando quis stipendiariis & vectigalibus suis nimis magna tributa nefariè extorquet, aut nimis asperum servitutis jugum iis imponit. Huc pertinet & sævus. Locus 1. Cor. VI. 10. pænam transgressoribus denuntiat. [6.] hoc etiam de omnibus justis contractibus ac pactis intelligi, in quibus fides strictè servanda est: ut ne alter alterum defraudet.*

§. 21. *Quæst. 69. Nonum præceptum, Exod. XX. v. 16. Non dices falsum testimonium contra proximum tuum. Qu. 70 illius sensum tradit: prohiberi ne quis in proximum quidquam mentiatur: aut famam cujusquam ex malitia, studioq; vindictæ, arrodatur; uno verbo: ut omnem noxium adfectum fugiamus: ne filii Diaboli, iisdem similes siamus, quos allocutus est Dominus Joh. VIII. 44. [2.] monet Judices ne transgrediantur*

aquum justumque, alioqui filios Diaboli futuros, & eterna gehennae haeredes.

§. 22. Quæst. 71. Decimum præceptum ex Exod. XX. 17. ita habet: *Non concupisces uxorem proximi tui, non concupisces domum proximi tui, non agrum, non servum, non ancillam, non bovem, non jumentum, non ullum pecus ejus, non quaecunque proximi tui sunt.* Qu. 72. dicit: *Hoc inter omnia ad charitatem proximi pertinentia, summum esse perfectissimumque; non enim externas duntaxat actiones vetare, sed eas insuper, quæ interioris hominis sunt: (abusive hic adhibet interioris hominis terminum, cum alias pro motibus à Spiritu S. profectis & hominis renati actionibus, legi DEI consonis accipiatur) quæ à mente ipsâ, atque deliberatâ hominis voluntate, ad malum perpetrandum oriuntur; quod est proprium hominis exterioris: [2.] implet enim, addit, hoc præceptum Christiana perfectio.*

§. 23. Hic nota autem, nullum reperiri qui ullum præceptum omnibus numeris impleat: multo minus hoc, quod interiores animorum motus compescit. Nulla enim in hoc mundo datur Christiana perfectio, in subiecto quodam, licet sanctissimo, Filio DEI excepto: quanquam negandum non sit, dari perfectionem Christianam in ideâ sive abstracto; ad quam tamen modis omnibus, utut nemo eò pervenerit, contendendum. Unde frustra dicitur in Confessione: *quod præceptum qui servat, ille jus omne proximo suo debitum*

ex-

expleſſe cenſendus eſt. Nemo enim id imple-
re poterit. [3.] Ut dicto audientes ſint,
hanc ſubjicit rationem : *quod tibi fieri non vis,
id alii ne feceris.* Dum [4.] pergit dicere : *in
eo Chriſtianorum omnium ſalutem poſitam, ut ne
expetat quis quidquam DEO proximoque ſuo ad-
verſum ; conſolationem eripit miſeris convi-
ctis, ſe nimis multum DEO proximoque ad-
verſum expetiſſe.* Tandem [5.] benè adjun-
git hiſce hoc monitum : *DEUM ſupra quam
ſemetipſum diliget : proximum autem juxta ac ſe-
metipſum.* De cōbinatione 9. & 10. præce-
pti multa eſſent dicenda, ſed brevitās tracta-
tionis propoſita, non permittit hiſ immorari.
Illud tacere non poſſumus : *D. Laur. Pet. Go-
thum,* cum dixiſſet, Decimo noſtro eadem pec-
cata prohiberi, quæ & nono; hanc ſubjicere
quæſtionem : *quare igitur non conjunguntur ? &
reſpondere : Sic uſu venit, nam præceptum, non
facies tibi ſculptile &c. quod Deut. V. ſecundum
locum obtinet, excluſum eſt, & tamen ut ſint decem
verba, ultimum diviſum legitur, ſequimur autho-
ritatem Eccleſiæ lit. c. fol. 2.* Sed diſtincta eſſe
præcepta vel ex diſtinctione objectorum pa-
tere poterit. Cum concupiſcentia originalis,
non tantum in genere, ſed reſtrictè ad diſtin-
ctum objectum, quin & actualis prohibea-
tur. Vid. Dn. D. Gerhard. in loc. de lege, D.
Chemnit. part. 2. L. C. p. 246.

§. 24. Concluſio explicationis & totius
operis ita formata : *Hæc officia ſi in hoc mundo,*

*in gratia Domini DEIque nostri, recte atque ordine, cum Catholicâ & orthodoxâ fide, exsequimur, tum sanè citra hesitationem ullam sperare possumus, nos in futuro seculo, summam charitatis perfectionem consecutos, in cælo concelebraturos esse unum illum DEUM, qui in Trinitate colaudatur: Patrem, Filium & Spiritum Sanctum, in secula seculorum Amen: Nititur falsissimis hypothesebus de merito & necessitate bonorum operum ad salutem: quas cum in superioribus à Spiritu Sancto damnatas evicerimus, hic actum agere nolumus. Cæterum ex his in 1. partis examine, æque ac harum 2. & 3. utut levi brachio tactis erroribus Confessionis, cui libet affectuum præiudicio vacuo, facillimum erit concludere, quo jure titulo *Orthodoxæ* superbiat & gaudere queat; scilicet nullo planè, adeoque illarum Ecclesiarum, numero & multitudine Sectatorum abundantium, vicem esse dolendam, quod vana fiduciâ de possessione veritatis tumidæ, multis dogmatibus ab æternâ veritatis regulâ, verbo DEI, aberrantibus mordicus inhæreant. Quibus ut clarior lux cœlitus affulgeat, vovemus a-nimitus, quo abjectis errorum monstris & dispulsis Traditionum nebulis, eandem nobiscum amplexæ veritatem, genuinâ exosculantes pietatem, DEUM essentia unum, Personis Trinum, è verbo sanctissimo agnitum, in his terris uno ore celebremus, tandemque Angelorum choro sociati, con-*

cinamus nostrum Halleluja in secula nunquam terminanda!

§. 1. Ad complendam paginam, indicandum duximus, quod Theologiæ Moralis, quoad partes principes, prolixam reperire est explicationem, in libro cujus *Exercitat. part 1. Sect. 2. c. II. p. II6.* mentionem fecimus, inscripto: *Mir Sbogom Tscheloveku*: qui sub hoc titulo: *Pax homini cum DEO, vel pœnitentia pacificans cum DEO hominem, Doctrina ex S. Scriptura & Patribus Ecclesiasticis desumta, in sancto magno miraculifico Monasterio Chiewo-cryptico, typis efformata, licentiâ, benedictione & correctione honoratissimi in Christo Patris Innocentii Ghise-
lii, divinâ gratiâ Archimandrite ejusdem sanctæ domus, in fixatione crucis (seu Diœcesi) sanctissimi Universalis Patriarchæ Constantinopolitani Anno Mundi 7177. Christi autem 1669.* Vastum opus, duobus Volum. in folio constans. Cujus summa capita, quamquam ad manus sint, hâc vice communicare prohibemur. Partes indicasse sufficiat. *Instructio proœmialis tractat de conscientia, voluntate libera, gratia, justificatione, merito. Pars 1. de pœnitentia, 2. de pœnitente, 3. de sacerdote & confessore, in multis Pontificiis favens.*

§. 2. Ad promovendam pietatem conscriptus est quoque liber, qui vulgatus est sub hâc epigraphe: *Dioptra ili serzalo, hoc est Tubus opticus vel speculum cordis, descriptio vitæ humanæ in hoc mundo, studio Monachorum Mona-*
ste-

ſerii Kutenienſis Eccleſiæ Sanctæ Epiphaniæ. Kutenis à nato Chriſto 1651. in 12. Præfatio addita eſt à Joële Truzewitzio Hieromonacho Igumene ſeu Abbate, nomine totius in Chriſto fraternitatis Monafterii Kutenienſis. Dividitur in tres Dioptras I. agit de contemptu vanitatum mundi continens cap. 40. ubi nota, quod inſcriptio præcedens, cap. I. addat: ex multis ſanctis divinis Scripturis & Patrum dogmatibus compoſita. 2. de Mundi perverſitate & defectibus in moribus ſuis, cap. 40. complectens. III. Docet, quomodo oporteat contemptores vanitatum mundi hujus, digne ſervire JEſU Chriſto. Subjunguntur dein præces collectæ ex divina Scriptura, & plures ex S. Ephremo, volentibus iisdem uti quoad beneplacitum ſuum, adverſus paſſiones animi & voluptates illicitas.

§. 3. Ut conſtet quam vanus ſit Leonis Allatii jactatus inter Pontificiam & Græcam Eccleſiam conſenſus, ſubjicimus Formulam abjurætionis, quâ ſe Romana Eccleſia adſtringere tenentur Græci, ad eam tranſire volentes, & Polonico fideliter tranſlatum à Perilluſtri DN. SPARFWEFELDT Fautore & amico colendo. Extat autem in Stanislai Orichovii tractatu de Baptiſmo Ruthenorum; ubi in Bulla Alexandri de non rebaptizandis Ruthenis, hujus abjurætionis fit talis mentio: errores prædictos abjurare volentes, ad præſata Latine Eccleſiæ unitatem, & ad eorum hujusmodi abjurætionem recipiat &c.

Ego N. contemplans ſeparationem (ab Ecclē

clesia vera) retentus laqueo Diaboli, & mendosa corruptione, in qua herebam: Tandemque ipse animo mecum perpendens, & rectè examinans, alacri atque sanâ mente, absque omni coactione, tantum ex speciali gratiâ DEI, reversus sum, & accessi ad unitatem Christiana religionis, pariterque ad Ecclesiam Christianam Romanam, renuntians omni errori & schismati. Ut igitur omni suspitione caream erroris, quasi revera non accesserim ad illam Ecclesiam Romanâ ejusq; obedientiam & servitium, promitto & polliceor, sub juramento, & eterna damnatione, tibi Pater venerande Episcopi, & similiter Sancto Petro Apostolorum Principi, primo Papa, & moderno Sancto Papa Julio II. omnibusque ejus posteris & Vicariis Domini nostri JESU Christi, quod nullo modo, nulloque instinctu ad pristinam mendosam corruptelam revertar, ex quâ per DEI gratiam sum ereptus. Verum firmiter perseverabo in unitate Sanctæ Ecclesiæ Christianæ, & in obedientia & imperio Papæ & Episcopi Romani. Qua de causâ promitto, sub juramento DEI omnipotentis, & per Sancta ejus Evangelia, in prædicta obedientia & unitate, me constanter usque ad finem vitæ perseveraturum. Et si, quod DEUS avertat, ego aliquo pacto, ab hac Ecclesiâ Romana, & ejus obedientia, me sejungerem; voveo, ut secundum perjurium & fallaciam meam, sors mea sit cum reliquis schismaticis, aut fidei fractoribus, in eterna damnatione. Itâ me DEUS adjuvet, sancta crux, & sancta Evangelia, Amen.

§. 4. Huic addamus exemplar literarum, quibus Sacerdotes ritè ordinatos & constitutos testantur, quarum nonnullas à Patriarchis & Metropolitibus Nicone, Apphophonia, Mogila, Macario scriptas, in Linguâ Sueticam, German. & Latinam translatas, è Consistorii Narvensis Actis describi fecimus; Sed quia omnes exhibere hâc vice non licet, & nobis videatur inter ceteras eminere illas, quas Sueticè translatas habemus, eas Latinè, ut nostræ linguæ ignaris facilius contenta illarû innotescant, hic dabimus: *Humilis Cornelius Metropolita magnæ Novogardie & magnæ Luckæ.*

Gratiâ Spiritus S. & vivificantis, ejusdemque dono & potestate, quæ nostræ humilitati data sunt, à magno nostro & supremo Sacerdote & Domino JESU Christo, hunc pium virum Procofer Rodonof accuratè & diligenter examinavimus, & à fide dignis testibus certiores facti, interposita quoque cautione confessionarii ipsius, eum dignum judicavimus, cui officium sacerdotale committatur. Proinde nunc mediante benedictione nostra, secundum ritum Orientalis Apostolicæ Ecclesiæ, quoad ejus gradus rite est ordinatus, ut obeat munus Apocri-siarii, Lectoris, Cantoris, Subdiaconi, & Diaconi. Ex ejusdem sancti & vivificantis & omnia perficientis Spiritus gratia, eum elegimus & manus ei imposuimus, ut sit sacerdotali munere fungens in Wotski Petin, Ratinski Pogost (districtu Wotskiensi & parœcia Retinskiensi) in templo Sancti Martyris Georgii, dantes illi horum omnium supra
enu-

enumeratorum testimonium, coram omnibus in quorum manus hæc litera incidere queant, Eum esse sacerdotio dignum, non tantum ut sacra in templo peragat in usum Ecclesie sue, sed & ut confessiones eorum excipiat, qui ad eum accesserint, & eorum conscientias excitet, & potestate gaudeat, secundum mandatum DEI, solvendi & ligandi peccatorem, judicandi ex præscripto regularum Sanctorum Apostolorum & piorum Patrum, & constitutionem St. Eccl. Orientalis, & nostra humilitatis impositionem, instructionem & mandatum. Sed quoad peccata graviora, de quibus non facile ferri poterit sententia, de illis ad nos Cornelium, sacratum Metropolitam magnæ Novogardie & magna Luckæ, referre tenebitur. Nullo modo ipsi licitum erit, deserere parochiam illam, ad quam benedictionem accepit; & si alii loco, seu Ecclesie, ministerium suum addixerit, absque nostra sacрати Metropolitæ indulgentia, (hic videtur omiffum: officio privabitur, uti ex aliis constat) secundum tertium Canonem factum Antiochie: neque duabus parœciis simul præerit, ex ordinatione Canonis 17. Synodi Alexandrinæ, ne videatur exercere cauponariam cum rebus Sacris, sed præsit uni suggestui & altari, libertate plenaria gaudens in templo; non tamen in Ecclesia divitiis alligatus, erit cum eo nomine easdem rejiciat eadem Synodus Alexandrina 13. Canone. Ad mandatum nostrum, & sponfionem suam, tenebitur ex totis animæ viribus esse sollicitus de salute animarum, & secundum exhortationem Apostolorum sese exercebit in Pietate, Sobrietate, Temperantia. Eric

modestus & liberalis, non temulentus, nec lucri cupidus, nec contentiosus, sed pacificus, vigilans, non invidus, nec avarus, sed ad docendum aptus, obligatus ad docendum auditores in Ecclesia, & omnem populum in vera Pietate & lege DEI omni die, Dominica imprimis, uti 19. Canon Syn. Alex. jubet. Nihil ad captum suum explicabit, sed prout Lumina Ecclesiae & Doctores in Scriptis suis explicaverunt. Quod si quis actionū suarū curam non habuerit, nec docilem se praeberit, sed in torpore haeserit, hunc excommunicabit. Reliquas partes officii sacerdotalis cū tremore, quasi in conspectu omnia videntis DEI sedulo explebit, ut accipiat prudentum & fidelium servorum mercedem ex ipsius manibus, qui tribuit unicuique secundum opera sua, nec necessum habeat suffundi rubore, in tremendo Domini nostri die Judicii. Quod si autem his insuper habitis, egerit ea, quae non decent Sacerdotium ipsius & Regulis S. S. Apostolorum, S. Patrum & nostrae benedictionis prohibita sunt, privatus erit officio suo sacerdotali, quamprimum ipsius crimen innotuerit. Ut haec omnibus pateant, datae sunt ipsi in testimonium haec literae, nostro Sigillo munitae; quod factum in civitate à DEO liberata magna Novogardia, & Domo omniscientiae divinae

Anno Mundi 7194. Maji die 22. Loc. Sigil.

Translatum è Moscovitico

1. Jul. 1686.

